Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/theodicea0000libe

LIBERATORE-CORSI S. I.

THEODICEA

(Ad usum privatum Seminarii Regionalis Campani)



NEAPOLI
EX TYPOGRAPHIA COMMERCIALI
1928

22967

MONITUM

In hac parte P. Liberatore Institutionum reficienda et huius Pontificii Seminarii alumnis accommodanda eandem secutus sum methodum, de qua in superioribus tractatibus satis dictum est, ideoque non est cur hic denuo dicam.

Sola innovatio hic mentione digna est, quod thesim de Miraculis et alteram de Pantheismo, quas cl. Auctor in Cosmologia habet, in fine huius tractatus ego ponendas censui; cuius consilii ratio fuit, quia thesis de miraculis cum thesibus de operatione Dei ad extra optime connectitur; altera autem optime facit ad dissipandum dubium, quod ex Dei infinitate et eius in omnibus rebus intima praesentia et operatione in alicuius mentem fortasse cadere potuerit. Ceterum hanc innovationem non meo marte feci, sed in ea exemplum auctorum distinctae notae secutus sum.

Datum Pausilipi, in Seminario Regionali Campano.
in Festo SS.mi Rosarii B. M. V.
7 Oct. 1928.

INTRODUCTIO

Theologiae Naturalis definitio—partitio—momentum.

1. **Definitio** *a) nominis:* Theologia, quoad nomen inspecta, idem valet ac *scientia de Deo*, ex duabus vocibus graecis: θεός *Deus*, λόγος *sermo* vel *scientia*. Additur *naturalis*, ad significandum discrimen inter praesentem disciplinam et aliam, quae Theologia dogmatica nuncupatur, ut infra explicabimus. Theologia naturalis vocari etiam solet *Theodicea*, quod nomen significat *Iustitiam* vel *Iustificationem Dei*, ex graeco sermone θεός Deus, et δική *iustitia* vel *iustificatio*. Hoc nomen primo invenitur apud Leibnitium, qui in opere « *Essais de Theodicée sur la bonté de Dieu* » probare contendit mala, quae in mundo sunt, optime componi cum principiis optimisticis ab ipso admissis.

b) rei: Theologia naturalis, quoad rem inspecta per nonem significatam, definiri potest: Scientia de Deo naturali rationis lumine comparata.

α) Dicitur *scientia*, quia est systema cognitionum demonstratarum circa suum obiectum.

β) *de Deo*, ad significandum obiectum huius scientiae, tum materiale, tum formale: *materiale* est Deus, de quo haec scientia tota est, et ad quem referuntur omnia, quae in ea traduntur; *formale* est Deus ipse, prout est ens primum, seu penitus immateriale et immobile.

γ) *naturali rationis lumine comparata*, quibus verbis discrimen indicatur inter Theologiam naturalem et dogmaticam, cuius principia formalia, non ratione efformantur, sed per supernaturalem divinam Revelationem accipiuntur.

2) **Partitio.** Theologia naturalis dividi potest in quatuor capita, quorum 1um sit de Esse Dei demonstrando; 2um sit de quidditate Dei; 3um de operatione Dei ad intra; 4um de operatione Dei ad extra.

3) **Momentum.** Quanti momenti sit studio Theologiae naturalis incumbere, ex sequentibus considerationibus patet:

a) Theologia naturalis, cum Deum contempletur, causam omnium rerum efficientem, exemplarem, finalem absolute ultimam, tendentiae naturae humanae ad supremas rerum causas cognoscendas, prae ceteris philosophiae partibus, apprime

respondet; unde etiam maximam perfectionem delectationemque humanae menti derivare manifestum est.

b) Cum Theologiae naturalis sit Deum contemplari, finem ultimum hominis, atque humanae beatitatis obiectum necessarium et sufficiens, ad quam in altera vita consequendam debet homo, dum viator est, sese disponere per legis moralis custodiam, uti suo loco demonstrabitur, nemo non videt, quanti momenti sit hanc disciplinam magno cum studio prosequi, ut possit quis rectam de suo ultimo fine notitiam sibi comparare.

c) Quam denique necessaria sit intima persuasio de existentia Dei, supremi Domini, Legislatoris et Iudicis, ad ordinem socialem stabiliendum conservandumque, populorum historia luculenter ostendit. Deo enim ex humano corde profligato, perversae theoriae, Dei negationis naturale et logicum consectarium, pullulant, quae aedificium sociale ab imis minantur atque pessumdant. Deo ab humana societate profligato, nulla erit suprema humana auctoritas, nulla lex firma, nulla privata proprietas, nulla fides mutua, uno verbo, nulla veri nominis societas.

d) Haec sunt tam clara et luculenta, ut vel ipsi philosophi gentiles agnoverint. Audiatur quid dicat Cicero (De Natura Deorum — Lib. I. c. 2.) contra eos, qui Providentiam negabant, quod certe, imo a fortiori, valet contra eos qui Deum ipsum negant, vel de eo non curant: « Quorum si vera sententia est, quae potest esse pietas ? quae sanctitas ? quae religio ? haec enim omnia pure atque caste tribuenda deorum numini ita sunt, si animadvertuntur ab his, et si est aliquid a diis immortalibus hominum generi tributum. Sin autem dii neque possunt nos iuvare, neque volunt; nec omnino curant; nec, quid agamus, animadvertunt; nec est, quod ab his ad hominum vitam permanare possit: quid est, quod ullos diis immortalibus cultus, honores, preces adhibeamus ? In specie autem fictae simulationis, sicut reliquae virtutes, ita pietas inesse non potest, cum simul et sanctitatem et religionem tolli necesse est; quibus sublatis, perturbatio vitae sequitur, et magna confusio. Atque haud scio, an pietate adversus deos sublata, fides etiam, et societas generis humani, et una excellentissima virtus, iustitia tollatur ».

e) Neque minus pulchra sunt, quae Seneca de rerum divinarum studio profert in praefatione libri « Quaestionum Naturalium » ad Lucilium: « Nisi ad haec (nempe divinarum rerum studia) admitterer, non fuerat operae pretium nasci. Quid enim erat, cur in numero viventium me positum esse gauderem ? an ut cibos, et potiones percolarem ? ut hoc cor-

pus casurum, ac fluidum, periturumque, nisi subinde impleatur, farcirem, et viverem aegri minister? Ut mortem timerem, cui omnes nascimur? Detrahe hoc inaestimabile bonum, (nempe studium divinorum) non est vita tanti, ut sudem, ut aestuam. O quam contempta res est homo, nisi supra humana se erexerit! ».

CAP. I.

De existentia Dei

THESIS I.

Propositio enuncians « Deum esse », etsi nota per se quoad se, non est tamen nota per se quoad nos: demonstrari ergo indiget, et potest, non quidem a priori, neque a simultaneo, sed a posteriori.

St. Q. 1) *a)* Nomine Dei vulgo intelligitur Ens quoddam supremum, summe perfectum, universi creator atque gubernator. Haec vulgaris notio satis est ad solvendam quaestionem « *an Deus sit* » ; exquisita enim et philosophica notio exprimens « *quid Deus sit* » totius theologicae tractationis est fructus.

In praesenti quaerimus utrum propositio enuntians *Deum esse* sit per se nota, an demonstratione indigeat ; et si indigeat, inquirimus insuper, utrum demonstrari possit, et qua demonstratione.

b) Ad 1um quod spectat, illa propositio dicitur *per se* nota, cuius praedicatum est de ratione subiecti, ita ut si quidditas subiecti clare, distincte et immediate cognosceretur, etiam immediate cognosceretur nexus subiectum inter et praedicatum. Cum igitur subiecti quidditas clare, distincte et immediate ab intellectu humano cognosci potest, propositio dicitur per se nota *quoad nos*, et quidem absolute, si omnibus omnino ratione utentibus innotescere potest, relative autem si solis sapientibus nota fieri potest. Si vero subiecti quidditas clare distincte et immediate intellectui humano innotescere nequit, propositio dicitur nota per se *quoad se*.

c) Ad 2um quod attinet, ut aliqua propositio sit demonstrabilis, tria requiruntur et sufficiunt : 1° ut non sit per se nota quoad nos ; 2° ut non sit evidenter falsa ; 3° ut detur medius terminus, qui nexum inter praedicatum et subiectum manifestum faciat. Haec tria verificari quoad propositionem, qua *Deum esse* enuntiatur, infra demonstrabimus.

d) Ad 3um denique quod spectat, demonstratio, ut in Dialectica vidimus, est argumentatio, in qua ex praemissis veris et certis, vera et certa conclusio deducitur. Duplex distinguitur praecipua, *a priori* nempe et a *posteriori*. A priori est demonstratio, in qua medius terminus est simpliciter prius re demonstranda, non solum scilicet in ordine logico, sed etiam in ordine ontologico, sive physico sive metaphysico; est, aliis verbis, ratio non solum *sciendi*, sed etiam *essendi* nexus inter subiectum et praedicatum; quapropter dicitur etiam a Philosopho haec demonstratio *propter quid*, in quantum per eam non solum cognoscitur praedicatum convenire subiecto, sed etiam assignatur ratio propter quam convenire debeat. Si quis v. g. hominem demonstraret esse risibilem ex eo quod est rationalis, demonstrationem a priori conficeret.

A posteriori est demonstratio, in qua medius terminus est *secundum quid* prius re demonstranda; est scilicet prius in ordine logico tantum, seu est ratio *sciendi*, non autem *essendi* nexus inter subiectum et praedicatum; propterea dicitur a Philosopho haec demostratio *quia*, in quantum per eam cognoscitur praedicatum inesse subiecto, sed non assignatur ratio propter quam inesse debeat. Si quis v. g. hominem demonstraret esse rationalem quia risibilem, demonstratione a posteriori uteretur: in ordine ontologico enim prius natura est esse rationalem, deinde risibilem.

Medium inter demonstrationem a priori et a posteriori tenet demonstratio *quasi a priori* vel *a simultaneo*, in qua medius terminus est ontologice simul re demonstranda, seu est ipsa res sub uno conceptu considerata, ex quo alius ipsius rei conceptus *quasi a priori* deducitur. Si quis v. g. ex eo quod Deus est primum ens deduceret Eum esse a se, demonstratione *quasi a priori* procederet.

Ad praesentem qnaestionem quod attinet, aliqui putarunt posse *Deum esse* demonstrari processu metalogico, qui consistit in transitu immediato mentis ex notione finiti ad notionem infiniti, quae excitatur per quandam contrappositionem vel regressum ad Infinitum ex contemplatione entium finitorum.

2) Adversantur thesi:

a) Qui negant Deum esse, et Athei vocantur, quorum variae numerantur classes, ut suo loco dicetur.

b) Qui negant Deum posse cognosci, ut sunt Positivistae, Agnostici, Kantiani, quorum primi negant aliquid esse praeter phaenomenum, ideoque melius atheis adscriberentur; agnostici admittunt dari aliquid praeter phaenomenum, sed negant hoc esse obiectum scientiae; kantiani denique admittunt Deum esse ut postulatum rationis practicae, est enim ad vitam ho-

nestam necessarium, sed negant rationem theoreticam posse ad Deum cognoscendum pervenire, cum impossibile sit ei ordinem phaenomenorum transcendere.

c) Qui tenent *Deum esse* esse immediate notum quoad nos, ut sunt Inneistae, Ontologi, Sentimentales.

Inneistae tenent notionem Dei, sicut et alias notiones primordiales, esse menti humanae naturaliter inditam.

Ontologi docent quidditatem Dei esse menti nostrae immediate praesentem, et in ea cetera omnia a nobis cognosci.

Sentimentales contendunt notionem Dei sicut et ceteras notiones religiosas et morales, esse factum experientiae internae, quae perficitur sensu quodam interno, qui ab ipsis *sensus divini* vel *fides affectuosa* vocatur, vi cuius experimur et veluti *gustamus* ea, quae ad religionem et moralitatem pertinent.

d) Qui admittunt quidem *Deum esse* mediate cognosci, negant tamen hoc fieri argumentis rationalibus, ut sunt Traditionalistae, Pragmatistae, Fautores Novae Apologiae.

Traditionalistae docent *Deum esse* fieri notum per divinam Revelationem a Deo primitus factam, et deinde generi humano per traditionem transmissam.

Pragmatistae tenent omnem veritatem, ideoque etiam quae ad religionem et moralitatem pertinent, ex practica utilitate et progressu esse dimetiendam.

Fautores Apologiae Novae, argumentis traditionalibus utpote insufficientibus spretis, ad Deum toto corde et affectu eundum esse contendunt.

e) Qui tenent *Deum esse* probari posse argumentis rationalibus, attamen non a *posteriori*, sed *quasi a priori*, ex analysi nempe conceptus Dei, qui communiter habetur. Ita S. Anselmus, qui Deum esse probat ex conceptu entis, quo maius cogitari nequit. Ita Cartesius, qui probat Deum esse ex clara perceptione entis infiniti. Ita denique Leibnitius, qui Deum esse probare contendit ex conceptu entis necessarii. His adscribendi sunt, quamvis alio modo procedunt, qui, auctore Gratry in Gallia et Günther in Germania, tenent Deum esse demonstrari posse argumento metalogico.

3) Nos contra tenemus :

a) Propositionem « *Deum esse* » enuntiantem, esse quidem per se notam quoad se, sed non quoad nos.

b) Esse demonstrabilem, non a priori, neque a simultaneo, neque metalogice.

c) Sed vere a posteriori.

Tribus ergo partibus thesis nostra continetur, quas omnes uti certas defendimus.

I. Pars *a)* Propositio enuncians *Deum esse* est per se nota quoad se.

(Ex notione propositionis per se notae quoad se).

Illa propositio est *per se* nota quoad se, cuius praedicatum est de ratione subiecti.

Atqui propositio enuncians *Deum esse* est talis propositio.

Ergo propositio enuncians *Deum esse* est per se nota quoad se.

Maj. Est ipsa notio propositionis notae *per se* quoad se.

Min. Supponitur probata; agimus enim nunc cum eis qui admittunt *Deum esse.*

b) Propositio enuncians *Deum esse* non est per se nota quoad nos.

(Ex notione propositionis per se notae quoad nos).

Illa propositio est *per se* nota quoad nos, cuius praedicatum inesse subiecto immediate intelligitur.

Atqui propositio enuncians *Deum esse* non est talis propositio.

Ergo propositio enuncians *Deum esse* non est *per se* nota quoad nos.

Maj. Est notio propositionis *per se* notae quoad nos.

Min. Ut cognosceremus immediate praedicatum « Esse » esse de ratione subiecti « Deus », deberemus posse cognoscere directe immediate intuitive quidditatem Dei.

Atqui his in terris constituti quidditatem Dei hoc modo non cognoscimus, neque possumus.

Ergo non possumus cognoscere immediate praedicatum « Esse » esse de ratione subiecti « Deus ».

Maj. Intelligitur per se.

Min. a) Conscientia tum directa tum reflexa scimus conceptum nostrum de Deo esse ex creaturis desumptum, ideoque mediatum et abstractivum.

b) Si cognitio nostra de Deo, dum his in terris versamur, esset immediata et intuitiva, omnes essemus perfecte beati, quia Deum directe, immediate, intuitive cognoscere est hominis perfecta felicitas.

c) Si immediate cognosceremus quid sit Deus, nemo erraret circa ea quae de Deo dicuntur, in Deo enim omnia sunt realiter idem ac essentia; nemo Deum esse negaret vel de eius existentia dubitaret, dum plures, maxime qui docti habentur, negant Deum esse, vel saltem dubitant.

d) Neque possumus, quia species propria Dei, cum sit infinita, nequit produci vel recipi in intellectu finito, ideoque omnis cognitio nostra, quam his in terris de Deo habemus, nequit esse

secundum speciem propriam, seu propria ex propriis, ut aiunt, sed solum propria ex alienis vel analogis.

II. Pars. *a)* Propositio enuncians *Deum esse* est demonstrabilis.

(Ex eis quae requiruntur et sufficiunt, ut propositio quaedam sit demonstrabilis).

Ut aliqua propositio sit demonstrabilis, tria requiruntur et sufficiunt: ut non sit *per se* nota quoad nos; ut non sit *per se* evidenter falsa; ut detur medium aptum demonstrationi faciendae.

Atqui haec tria verificantur quoad propositionem *Deum esse* enuntiantem.

Ergo propositio *Deum esse* enuntians est demonstrabilis.

Maj. Per se intelligitur.

Min. Quoad 1um, patet ex praecedenti; quoad 2um, liquet ex ipsis disputationibus, quae agitantur de *esse* Dei demonstrando, quae non fierent, si propositio enuncians *Deum esse* esset per se evidenter falsa; quoad 3um, ex dicendis patebit.

b) non *a priori*, neque *physico* neque *metaphysico.*

α) Non *a priori physico.*

(Ex eo quod nihil est Deo causa essendi in ordine physico).

Demonstratio *a priori physico* fit, cum medium est rei demonstrandae causa essendi in ordine physico.

Atqui nihil est, neque esse potest, Deo causa essendi in ordine physico; Deus enim est ens a se, ut infra demonstrabitur.

Ergo *Deum esse* demonstrari nequit *a priori physico.*

β) Neque *a priori metaphysico.*

(Ex eo quod nulla est in Deo ratio, qua posita, eius esse resultat).

Demonstratio *a priori metaphysico* habetur, cum medius terminus est ratio, qua posita, res demonstranda resultat.

Atqui nulla datur in Deo huiusmodi ratio: Deus enim est formaliter suum esse, ut infra probabitur.

Ergo Deum esse demonstrari nequit *a priori metaphysico*

c) Neque *a simultaneo.*

(Ex eo quod nullus conceptus, quem de Deo his in terris habemus, et habere possumus, quidditatem Dei exprimit ut actu existentem).

Ut posset *Deum esse* a simultaneo demonstrari, deberet,

aliquis conceptus, quem de Deo habemus, Dei quidditatem ut actu existentem exprimere.

Atqui nullum talem conceptum habemus, quia, ut diximus, omnis conceptus, quem de Deo habemus his in terris constituti, non est intuitivus, sed abstractivus.

Ergo *Deum esse* a simultaneo demonstrari nequit.

Maj. Est notio demonstrationis a simultaneo : certe ut possit existentia Dei *actualis* ex analysi alicuius conceptus Dei erui, deberet haec *ut actualis* in illo exprimi.

Min. Patet ex dictis.

d) Neque argumento metalogico.

(Ex eo quod nititur falso supposito).

α) Argumentum metalogicum supponit nos habere notionem *finiti* immediate ex contemplatione rerum mundanarum.

Atqui hoc est falsum, prima enim notio, quam mens efformat ex rerum mundanarum contemplatione, non est notio *entis finiti* ut *finiti*, sed notio *entis ut sic.*

Ergo argumentum metalogicum falso supposito nititur.

Maj. Est doctrina adversariorum.

Min. Constat ex facto.

β) Praeterea argumentum metalogicum supponit notionem *infiniti* contineri in notione *finiti.*

Atqui hoc est falsum.

Ergo etiam ex hoc altero capite argumentum metalogicum laborat falso supposito.

Maj. Secus non intelligeretur, quomodo notio infiniti ex notione finiti posset immediate deduci.

Min. Ex facto constat mentem non immediate transire ex notione finiti ad notionem infiniti. Sed etsi hoc concederetur, non inde sequeretur, mentem immediate intelligere finitum necessario ab infinito *quoad esse* pendere ; adhuc ergo maneret probandum, notionem illam infiniti a notione finiti excitatam, esse obiective realem.

III. Pars. Propositio enuncians *Deum esse* demonstrabilis est *a posteriori.*

(Ex eo quod datur effectus, quo posito, ponendus est Deus).

Demonstratio a posteriori habetur, cum datur effectus, quo posito, ponenda est causa ipsius.

Atqui datur effectus, quo posito, ponendum est *Deum esse.*

Ergo *Deum esse* a posteriori demonstrari potest.

Maj. Nititur principio causalitatis.

Min. Ex dicendis patebit.

Solvuntur difficultates.

Contra 1am Partem.

1) Cognitio Dei dicitur nobis naturaliter indita.

D. Cognitio virtualis C. formalis Sbd. quatenus nullo discursu comparatur N. quatenus facili discursu comparatur C.

2) Deus est ipsa veritas.

D. Communis N. subsistens C.

3) Per se evidens est dari summum bonum.

D. In genere C. in specie Sbd. quoad se C. quoad nos N.

4) Per se notum est dari rationem sufficientem omnium, quae existunt.

D. Et simul notum est per se quoad nos hanc rationem esse Deum N. non est. C.

Explico. Difficultas confundit duplicem quaestionem : daturne ratio sufficiens omnium, quae existunt ? qualis est haec ratio ?

5) Id in quo omnia cognoscimus, est immediate notum quoad nos.

D. Id in quo, tamquam in obiecto prius cognito, omnia cognoscimus, est immediate notum quoad nos C. Id in quo, tamquam in causa, a qua lumen cognoscendi participamus, est immediate notum quoad nos N.

6) Si notio Dei non esset innata, in ea aliquid a nobis effectum cognosceremus.

R. *a)* Hoc inconveniens verificaretur etiam si notio Dei esset innata : semper enim esset aliquid creatum et finitum.

b) D. Si notio esset *medium quod* C. si est *medium quo* N.

Explico. Cognitione directa cognoscimus non notionem, sed obiectum, quod ea mediante fit notum.

7) Si Deum esse non esset immediate evidens, multi notitia Dei privarentur.

D. Si difficilis discursus opus esset ad eam sibi comparandam C. secus N.

8) Primum ontologicum debet esse primum logicum.

D. Debet cognosci *ut primum* C. Debet cognosci *primum* N.

Explico. Ad veritatem cognitionis requiritur conformitas cum obiecto quoad id quod cognoscitur, non quoad modum quo cognoscitur.

9) Si Deum non primum cognosceremus, sed ens finitum, prima nostra cognitio esset negativa.

D. Si ens finitum *ut finitum* primo cognosceremus. Tr. Si ens finitum ut *ens* primo cognoscimus N.

10) Notiones rerum exhibent aliquid universale, necessarium, aeternum; iamvero hoc, aut divinam essentiam directe

contemplando attingimus; aut ab activitate nostra efficitur; aut ex ipsis rebus haurimus.

Atqui non 2um, neque 3um.

Ergo 1um tenendum.

R. Transeat 1ª pars Majoris.

Nego 2am partem et addo 4um: aut id, quod notiones rerum exhibent ab activitate nostra, rebus simul concurrentibus, efficitur. Exinde patet distinctio danda in minori.

Explico. Id quod notiones rerum exhibent, est simul in intellectu et in rebus, sed alio et alio modo: in intellectu *formaliter*, in rebus *fundamentaliter*, ut dictum est in Logica Critica, ubi etiam de proprietatibus universalium innuimus, et de modo quo a mente conficiuntur.

Contra 2am Partem.

1) Infinitum et perfectum contradictorie opponuntur: infinitum enim negat, perfectum affirmat. (Hamilton, apud Bonnet).

D. Infinitum negat perfectionem N. negat limitem in perfectione C.

Explico. Difficultas confundit infinitum cum indeterminato.

2) Infinitum complectitur omnia, perfectum non, sed solum perfectiones. (Vacherot, ibid.).

D. Infinitum complectitur omnia formaliter N. formaliter, eminenter vel virtualiter C.

Explico. Difficultas laborat ignorantia elenchi, sicut praecedens.

3) Perfectum negat limitationem, ideoque distinctionem: personale e contra importat determinationem distinctionem, ideoque limitationem. (Srauss, ibid).

D. *a)* Perfectum negat distinctionem secundum aliquid sui C. secundum se totum N.

b) Personale per conscientiam sui attingit se limitatum, si ipsius perfectio limitata est C. limitat se, hoc ipso quod est sui conscium N.

Explico. Difficultas supponit omnem distinctionem esse necessario limitationem, quod est falsum: distinctio enim negat identitatem cum ceteris, limitatio negat ulteriorem perfectionem; qui conceptus non sunt idem. Confundit praeterea difficultas *diversum* cum *differenti*: quae differunt, in aliquo conveniunt, ideoque differunt secundum partem sui, et sunt propterea limitata in sua perfectione; quae sunt diversa, in nullo conveniunt, saltem univoce, ideoque secundum se tota diversificantur.

4) Ex finitis oriri nequit infinitum. (Evellin, ibid.).

D. Per additionem finitorum ad invicem C. per remotionem limitis a perfectione entis finiti N.

5) Deus concipitur ut quid absolutum simul et relativum : concipitur enim ut cauta 1ª, ut obiectum cognitionis, ut a ceteris distinctus, quae omnia relationem important. (Mansel. ibid.).

D. Relationem important realem N. logicam C.

6) Deus concipitur ut quid durans tempore infinito. (Spencer. ibid).

D. Durans duratione successiva N. tota simul C.

Explico : Difficultas supponit omnem durationem esse necessario successivam; laborat ergo falso supposito vel ignorantia elenchi, sicut et praecedentes.

Videtur *Deum esse* demonstrari posse *a simultaneo.*

7) Ens quo maius cogitari nequit, existit in mente et in re. (S. Anselmus).

D. Si cogitari nequit *maius* in ordine existentiae C. si cogitari nequit *maius* in ordine essentiae Sbd. affirmanda est eius existentia exercita extra mentem ante demonstrationem aliunde petitam N. post demonstrationem C.

Explico : Aliud est cogitare de aliquo ente cuius essentia sit esse, aliud est cogitare ens, cuius essentia est esse, de facto esse : ad 1um non requiritur demonstratio aliunde petita, nempe a posteriori; ad 2um requiritur: a posse enim ad esse non valet illatio.

8) Quod in perceptione clara et distincta alicuius entis continetur, est ei tribuendum. (Cartesius).

D. In ordine ideali C. reali Sbd. si existit C. secus N.

9) In Deo idem est *posse esse* et *esse.* (Leibniz).

D. Et hoc nobis constat a posteriori C. ex sola analysi conceptus Sbd. percipimus non repugnantiam N. non percipimus repugnantiam C.

Explico : Quamvis possibilitas non pendeat ab existentia, possibilitas tamen ex existentia nota fit nobis; neque fas est, ex eo quod non percipimus aliquod ens repugnare, concludere: « ergo non repugnat ».

10) Ens necessarium non potest cogitari non esse.

D. Ei tribuendum est esse ideale C. actuale exercitum extra mentem Sbd. si constat aliunde idipsum actu esse C. secus N.

Explico : Praedicatum *esse*, sicut et quodvis aliud, esse potest possibile et actuale; vel ideale et reale. Cum ergo concipio *Ens necessarium*, concipio Ens cuius *essentia* est *esse ;* ideoque si existit, existit per suam essentiam; sed existitne ? haec quaestio adhuc solvenda manet.

Contra 3am P.

1) Iudicium, quod experientia nititur, est syntheticum.

D. Si praedicatum non est de ratione subiecti C. secus N.

Explico : Non est confundendum iudicium *a posteriori* cum iudicio, cuius veritas affirmatur *ex demonstratione a posteriori:* illud semper est syntheticum; hoc autem non semper.

2) In demonstratione alicuius rei facienda ab eius definitione est incipiendum.

D. In demonstratione *propter quid* C. *quia* Sbd. habendus est aliqualis conceptus rei demonstrandae C. exquisitus et scientificus N.

3) In omni demonstratione a posteriori existentiae Dei plus affirmatur in conclusione quam in praemissis.

R. *a) Nego.* In omni demonstratione enim, quae fit a posteriori de existentia Dei, affirmatur actu et formaliter, quod virtualiter affirmatur in praemissis : affirmatio enim entis contingentis, *ut contingentis*, continet virtualiter affirmationem entis necessarii, quae habetur in conclusione.

b) D. Affirmatur plus in conclusione, si conclusio sumitur ontologice C. si logice N.

Explico: In omni demonstratione a posteriori existentiae Dei id quod affirmatur in conclusione pendet ab eo quod affirmatur in praemissis, non quoad *esse* seu ontologice, sed quoad *cognosci*, seu logice; ideoque nihil habetur contra legem, ad quam alludit proposita difficultas.

4) Cum in omni demonstratione a posteriori existentiae Dei, major sit certa certitudine metaphysica, minor autem certitudine physica, sequitur existentiam Dei esse certam certitudine physica, iuxta legem syllogisticam : peiorem sequitur semper conclusio partem.

D. Minor est certa certitudine materialiter physica, sed formaliter metaphysica C. formaliter etiam physica N.

5) Veritas primi ordinis deduci nequit a veritate secundi ordinis. (Frank).

D. Quoad esse C. quoad cognosci N.

6) Omnis demonstratio fit :

a) Ex prioribus et notioribus.

b) Ex necessariis.

R. *a)* D. Ex prioribus et notioribus quoad nos C. quoad se N.

b) D. Quoad essentiam C. quoad existentiam Sbd. ex necessariis absolute vel hypothetice. C. semper absolute. N.

7) Esse non eodem modo convenit Deo et creaturae.

D. Nulla habetur convenientia N. non habetur perfecta simititudo, quae tamen non requiritur ad scopum nostrum. C.

8) Nulla datur proportio inter mundum et Deum.

D. Si mundus quoad *esse* spectatur Tr. si quoad *esse productum* N.

9) Nulla species ex rebus creatis desumpta exprimere potest Deum.

D. Non potest exprimere proprie ex propriis C. proprie ex alienis vel analogis. N.

Vel: exprimere nequit adaequate C. nullo modo, neque inadaequate. N.

10) Inter cognoscens et cognoscibile debet dari proportio.

D. Proportio quae sit convenientia in aliquo genere vel specie N. quae sit convenientia in ordine ad actum cognitionis eliciendum C.

Explico : Debet scil. intellectus posse cognoscere aliquo modo Deum, et debet Deus posse aliquo modo cognosci ab intellectu humano.

THESIS II.

Probatur Deum esse ex rerum motu, efficientia, contingentia; ex gradibus entium et ex ordinis idealis absoluta necessitate.

St. Q. 1) Hac thesi complectuntur argumenta de existentia Dei, quae metaphysica vocantur, quia eorum medius terminus ex rerum notionibus vel essentiis hauritur.

a) Primum, quo probatur *Deum esse* sub conceptu motoris primi et immobilis, desumitur ex motu vel mutationibus, quas in rebus videmus fieri, quaeque *sufficientem* explicationem habere nequeunt in ipsis rebus mobilibus, iuxta principium metaphysicum : « Omne quod movetur ab alio movetur » vel aliud: « Nihil transit de potentia in actum, nisi per aliquod ens in actu ».

Est itaque motus, prout hic sumitur, transitus de potentia in actum. Est improprie sumptus, si transitus fit de potentia obiectiva ad actum entitativum; est proprie sumptus, si transitus fit de potentia subiectiva ad actum formalem. Proprie sumptus adhuc dispescitur in lato, stricto, strictissimo sensu acceptum. Motus proprio et lato sensu acceptus habetur, cum transitus fit in instante, ut est v. g. in sensatione et intellectione ; stricto sensu acceptus est motus, qui fit successive, et duplex distinguitur, alteratio et augumentum; strictissime sensu acceptus tandem est motus localis, seu latio vel translatio, qui motus est omnium manifestissimus, et ei maxime convenit definitio aristotelica : Actus entis in potentia, quatenus in potentia.

Argumentum, ut superius innuimus, praescindit a quavis

specie motus et a natura subiecti, in quo locum habeat, utrum sit materiale vel materiae expers, et solum considerat motum in se, prout nempe dicit transitum de potentia in actum.

Neque exinde de valore argumenti ambigi potest, cum, et notio motus, et principium analyticum, in quo proxime argumentum nititur, sint obiective realia.

Id quod transit de potentia in actum, dicitur *mobile*, vel *motum;* id cuius influxu vel actione aliud de potentia in actum adducitur, *motor* vel *movens* nuncupatur. Motor est intermedius vel primus, prout moveat motus, vel moveat quin moveatur. Immobilis ergo dicitur, non quia inactivus, sed quia eius activitas, ut exerceatur, ab alio actuari non indiget. Motor primus immobilis idem ergo valet ac perfectissimus, totus et solus actus.

b) Secundum argumentum desumitur ex rerum efficientia, vel causalitate. Experientia enim, tum interna tum externa, constat res de novo produci influxu vel actione aliarum, quae causae vocantur. Sponte ergo oritur quaestio menti reflectenti, num omnia sint producta, vel admittendum aliquod ens improductum, quod ultimatim sit causa omnis causationis vel efficientiae ceterarum causarum.

Hoc alterum tenendum est, si absolute repugnet, seriem dari infinitam causarum efficientium subordinatarum. Ad cuius intelligentiam, duplicem distinguunt philosophi seriem causarum efficientium subordinatarum, alteram causarum *per se* subordinatarum, alteram causarum *per accidens* subordinatarum.

Per se subordinatae dicuntur causae, cum una ab alia pendet in ipsa ratione causandi, ita nempe ut una causare non possit, nisi ceterae omnes simul causent. Exemplum habetur in eo, qui brachio movet baculum, baculo autem movet lapidem: si brachium ille non movet, neque baculus, neque lapis movetur.

Per accidens subordinatae dicuntur causae, quae ab invicem pendent, non in ratione causandi, sed in ratione sui esse, vel potius sui fieri, vel in aliqua alia ratione. Exemplum habes in generatione viventium: filius a patre pendet quoad *fieri*, non enim existeret, nisi a patre esset generatus; sed nullatenus pendet quoad causandum, causare enim potest, quin pater, avus et bisavus simul causent.

Seriem infinitam causarum per se subordinatarum absolute repugnare, omnes philosophi scholastici admittunt; ad aliam seriem quod attinet, aliqui cum Aristotele et S. Thoma, admittunt eam non repugnare, dummodo detur causa extra illam seriem, quae integrae seriei sufficientiam communicet;

alii, nulla facta exceptione, tenent seriem infinitam causarum per accidens subordinatarum intrinsece repugnare. Non est hic locus huic quaestioni dirimendae; nos primam sententiam praeferimus propter rationes infra adducendas.

c) Tertium argumentum desumitur ex rerum contingentia. Videmus enim in mundo res existere caducas et fluxas, ideoque sponte enascitur quaestio menti reflectenti, sintne omnia caduca et fluxa, seu contingentia, vel admittendum sit aliquod ens, quod semper in eodem statu permaneat; ens nempe quod ita sit, ut non esse non possit; ens quod ceteris sit ratio essendi sufficiens, ipsum autem a nullo sufficientiam suam mutuet, sed sit ipsum sibi sufficientissima ratio: ens nempe necessarium. Patet hic necessitatem sumi absolute, nullam nempe hypothesim consequentem, ut est v. g. necessitas huius enuntiabilis: « *Necesse est circulum esse rotundum* »; si enim aliquam hypothesim necessitas consequitur, dicitur hypothetica vel consequens, quae non est vera necessitas, cum non repugnet absolute rem aliter se habere. Talis est v. g. necessitas huius enuntiabilis: « *Necesse est Petrum currentem se movere* ».

Etiam hujus quaestionis solutio pendet ex intrinseca repugnantia, vel secus, seriei infinitae entium ab alio, seu contingentium.

d) Quartum argumentum desumitur ex gradibus entium. Videmus enim in mundo entia alia aliis perfectiora, et non solum quoad esse accidentale, sed etiam in ipsa ratione essendi: sunt enim mineralia, quae simplicem rationem essendi participant; sunt vegetantia, quae habent esse et vivere; animantia, quae esse vivere et sentire habent; est denique homo qui habet esse, vivere, sentire ed intelligere: sunt inter homines alii aliis sapientiores, alii aliis potentiores, alii aliis pulchriores, et ita porro. Sponte igitur enascitur quaestio, num magis et minus perfectionis, quod in rebus mundanis videmus, dicat respectum ad summum, ideoque admittendum sit ens aliquod summe perfectum, nempe summe ens, summe sapiens, summe potens, summe pulchrum, et ita porro.

Patet hic perfectionem sumi *ut sic*, talem nempe quae in suo conceptu nullam includat imperfectionem, quae enim huiusmodi est ut imperfectionem in suo conceptu dicat, imperfectio potius quam perfectio absolute dicenda est.

Ex hucusque declaratis potest quisque per se intelligere, argumentationem, quatuor prima argumenta complectentem, quibus *Deum esse* probatur, totam regi duplici principio analytico, quorum unum est rationis sufficientis vel causalitatis; alterum est intrinseca repugnantia processus infiniti. Haec ra-

tio est cur adversarii, qui negant, vel *Deum esse*, vel eum posse cognosci, toti sunt in valore utriusque principii negando vel saltem infirmando.

e) Quintum argumentum desumitur ex ordinis idealis absoluta necessitate et veritate.

Ordo idealis complectitur essentias rerum possibilium, atque relationes, quae inter diversas rerum essentias, vel diversas eiusdem essentiae notas vigent, huiusmodi sunt v. g. relationes, quae sequentibus propositionibus continentur: Homo est animal rationale; circulus est rotundus; totum est majus sua parte; $2 + 2 = 4$, et alia sexcenta.

Absolute necessarius vel verus hic ordo dicitur, non quia in nullo habeat fundamentum, sed quia fundamentum non habet in ordine rerum actu existentium, neque in intellectu humano ordinem ipsum actu apprehendendente, neque in ipsis rerum essentiis in se inspectis: hae enim, quamvis in se habeant rationem proximam suae possibilitatis et veritatis, attamen ratio ultima in alio collocanda est, nisi rationi inquirenti cur hoc vel illud sit possibile vel verum, responderi velit per meram tautologiam: est possibile quia est possibile; est verum quia est verum.

Quibusdam auctoribus videtur hoc argumento non efficaciter probari Deum esse; sed est argumentum valde familiare D. Augustino, et a compluribus aliis auctoribus non infimae notae affertur. Ex rationibus, quas illi auctores adducunt, videtur non satis distingui ab eis fundamentum logicum a fundamento ontologico, quod solum argumentum considerat.

2) De adversariis satis dictum est in thesi praecedenti. Hic tamen specialem mentionem merentur.

a) Qui valorem ontologicum principii causalitatis negant, in quo maxime nititur, ut diximus, integra demonstratio existentiae Dei. Huiusmodi philosophi notionem causalitatis repetunt ex consuetudine videndi aliquod phaenomenum semper vel constanter aliud sequi. Consuetudo facta est veluti secunda natura, unde necessitas iudicandi phaenomenum aliquod fieri ex influxu alterius, quod est mere antecedens. Ita Hume, Stuart Mill et empiristae generatim.

b) Qui, etsi admittunt valorem ontologicum, negant tamen valorem transcendentem principii causalitatis, ipsumque tenent valorem tantum habere intra fines ordinis phaenomenici, sive psychologici, sive cosmologici, neque ullum conferre ius huiusmodi fines transcendendi. Ita Kant, Spencer et generatim qui agnosticismo sunt addicti.

c) Qui negant dari veram discontinuitatem in serie phaenomenorum: tenent enim realitatem esse unum continuum dy-

nanicum, et discontinuitatem a mente postulari propter fines practicos. Ita Bergson, Le Roy et alii.

d) Specialem mentionem hic etiam merentur pantheistae ideales, qui negant mentem posse suam activitatem transcendere et absolutum, quod sit ab ea realiter distinctum, attingere. Eminent inter nostrates Croce et Gentile, quorum alter argumenta S. Thomae de existentia Dei exponit et suo modo refutat in opere : « I Problemi della Scolastica e il pensiero italiano » capite : « Dio e il Mondo ». Quanti valeat haec refutatio, dicemus suo loco.

3) Thesis in partes quinque dividi potest, argumentorum numero respondentes. Singulas uti certas defendimus.

I. P. Probatur argumento cinesiologico, seu ex motu desumpto, *Deum esse* sub conceptu motoris primi immobilis.

Nota. Quibusdam auctoribus videtur argumentum hoc, si de motu locali intelligitur, non esse argumentum specie diversum ab eo, quod ex rerum contingentia desumitur : motus localis enim iuxta modernam physicam est essentialis materiae, ideoque resultans necessario ex ipsa materiae positione. Non est hic locus dirimendi hanc quaestionem; argumentum tamen prout a nobis et ab aliis communiter proponitur, praescindit a quavis specie motus, et hunc respicit solummodo prout est transitus de potentia ad actum.

Argum. Omne quod movetur ab alio movetur.

Atqui experientia constat multa in mundo moveri.

Ergo ab alio moventur.

Maj. Repugnat aliquid a seipso solo transire de potentia in actum : deberet enim simul habere et non habere actum vel perfectionem quam in suo motu acquirit : habere, ut sibi daret,nemo enim dat quod non habet ; non habere,ut acquireret.

Min. a) Experientia interna constat in nobis fieri mutationes, quarum ratio sufficiens et adaequata non sumus nos.

b) Experientia externa constat fieri in ceteris hominibus et aliis rebus circa nos existentibus mutationes, non solum quoad locum et quantitatem, sed etiam quoad qualitates, quarum ratio sufficiens et adaequata nequit in ipsis inveniri, ut ex principio in maiori adducto evidenter patet.

Iamvero, illud aliud aut est movens non motum, aut est movens motum.

Si 1um, habemus intentum.

Si 2um, redit quaestio sine fine.

Aut igitur admittatur motor primus immobilis, aut admittendus est processus infinitus motorum et moventium.

Atqui hic processus repugnat.

Ergo admittendus motor primus immobilis.

Prob. ultima minor.

In serie ordinata motorum et moventium ultimum movet in quantum movet medium ; medium autem movet in quantum movet primum.

Atqui in serie infinita primum non movet, quia non est.

Ergo in serie infinita neque medium, neque ultimum movet, ideoque motus non datur, quod est contra experientiam. Existit ergo motor primus immobilis.

II. P. Argumento cosmologico, seu ex rerum efficientia desumpto, probatur *Deum esse* sub conceptu causae primae improductae.

Argum. Quidquid de novo producitur, ab alio producitur.

Atqui experientia, tum interna tum externa, constat plura in mundo de novo produci.

Ergo ab alio producuntur.

Maj. Repugnat enim aliquid a se produci : deberet enim simul esse et non esse : esse ut produceret, nihil enim agit nisi in quantum est ; non esse, ut produceretur.

Min. a) Experientia interna constat plura a nobis fieri activitate nostra.

b) Experientia externa constat plura fieri a ceteris hominibus et ceteris rebus activitate eorum.

Iam vero, illud aliud aut causat non causatum, aut causat causatum.

Si 1^{um}, habemus intentum, existit nempe causa non causata.

Si 2^{um}, redit quaestio sine fine.

Aut igitur admittatur causa prima non causata, aut admittenda est series infinita causarum causatarum.

Atqui hoc alterum repugnat.

Ergo admittenda causa prima incausata.

Ultima minor :

a) Repugnat series infinita causarum efficientium *per se* subordinatarum.

In serie causarum efficientium *per se* subordinatarum, ultima causat in quantum causat media; media autem causat in quantum causat prima.

Atqui in serie infinita prima non causat, quia non est.

Ergo in serie infinita neque media, neque ultima causat, ideoque nulla causatio in mundo, quod est contra experientiam.

Existit ergo causa prima incausata.

b) Repugnat series infinita causarum efficientium *per accidens* subordinatarum, nisi detur causa efficiens extra illam seriem, ideoque incausata.

Totalitas causarum, quarum singulae sint *per se* insufficiens explicatio sui, insufficiens pariter dicenda est.

Atqui in casu singulae causae, quibus series infinita constaret, sunt *per se* insufficiens explicatio sui.

Ergo in casu etiam totalitas causarum *per se* insufficiens dicenda est.

Maj. Ex multitudine infinita caecorum a nativitate nequit oriri aliquid visu pollens.

Min. Supponuntur causae ad invicem subordinatae, quae subordinatio, quamvis non sit in ipsa ratione causandi, necessario tamen haec supponitur, ut habeatur causatio. Filius v. g. causat, quin sui maiores simul causent, attamen non causaret, nisi existeret; neque existeret, nisi a maioribus esset procreatus.

III. P. Argumento alloiologico, seu ex rerum contingentia vel caducitate, probatur *Deum esse* sub conceptu entis absolute necessarii.

Nota. Argumentum hoc non eodem modo procedit ac praecedens. Illud enim ex novarum rerum apparitione arguebat; hoc autem ex rerum existentium desitione arguit.

Argum. Quod contingenter existit, non vi suae essentiae existit, sed ab alio determinatur ad esse.

Atqui plura in mundo contigenter existunt.

Ergo non vi suae essentiae existunt, sed ab alio determinantur ad esse.

Maj. Quod contingenter existit, vi suae essentiae indifferenter se habet ad esse et non esse.

Atqui quod vi suae essentiae indifferenter se habet ad esse et non esse, ab alio determinatur, ut sit.

Ergo quod contingenter existit, ab alio determinatur, ut sit.

Min. 1i *argum.* Constat ex experientia plura in mundo corrumpi et desinere esse, non solum secundum quid, sed etiam simpliciter; non solum in regno organico, sed etiam anorganico.

Iamvero, illud *aliud* a quo determinantur ad esse, aut vi suae essentiae existit, aut ab alio determinatur ad esse.

Si 1um, habemus intentum.

Si 2um, redit quaestio sine fine.

Aut igitur admittatur ens aliquod, quod vi suae essentiae existat, aut admittendus processus infinitus entium contingentium.

Atqui hoc alterum repugnat.

Ergo primum tenendum est; existit ergo ens per essentiam, seu absolute necessarium.

IV. P. Argumento henologico, seu ex gradibus entium probatur *Deum esse*, sub conceptu summe perfecti, immo summe entis.

Nota. Perfectum dicitur ens, cui nihil realitatis deest, quam eius natura exigit. Summe perfectum autem est ens, cui perfectio aliqua inest meliori modo possibili. Et si hoc in una tantum linea verificatur, dicitur ens summe perfectum secundum quid; si in omni linea, vel in ipsa linea entis illud verificatur, dicitur ens summe perfectum simpliciter, vel summe ens.

Argum. Perfectio quae secundum determinatum gradum et veluti diminuta possidetur, non vi essentiae possidetur, sed ab alio est communicata.

Atqui plures sunt in rebus perfectiones, quae secundum determinatum gradum et veluti diminutae possidentur.

Ergo non vi essentiae possidentur, sed ab alio sunt communicatae.

Maj. Quod vi essentiae possidetur, non secundum magis et minus possidetur, quia essentiae sunt in indivisibili. Individua humana v. g. non participant naturam humanam secundum magis et minus, quia eam vi suae essentiae habent; sed participant secundum magis et minus doctrinam et alias perfectiones, quia eas non vi essentiae habent, si enim vi essentiae haberent, sicut sunt aequaliter homines, ita essent aequaliter docti, aequaliter iusti etc.

Min. Patet ex rerum mundanarum observatione.

Iam vero illud *aliud* aut vi essentiae habet perfectiones illas, quas ceteris communicat, aut et ipsum eas ab alio communicatas habet.

Si 1um, habemus intentum, existit nempe ens summe perfectum.

Si 2um, redit quaestio in infinitum.

Aut igitur admittatur ens summe perfectum, aut admittendus processus infinitus eorum, quae perfectiones ab alio communicatas habent.

Atqui hoc alterum repugnat.

Ergo primum est tenendum.

Nota. Idem argumentum valet pro ipsa ratione entis simpliciter, quia diversimode participatur ab entibus, quibus mundus constituitur. Existit ergo ens, in quo ratio entis est meliori modo possibili, seu secundum totam suam plenitudinem; vel existit ens simpliciter summe perfectum, seu summe ens.

V. P. Argumento ideologico, seu ex absoluta necessitate et veritate ordinis idealis probatur *Deum esse* ut fontem totius intelligibilitatis et veritatis.

Argum. Ordo idealis, aut ab ordine rerum existentium pendet; aut ab intellectu nostro; aut a se est; aut a superiori intelligentia est repetendus.

Atqui non 1um, neque 2um, neque 3um admitti potest.

Ergo 4um est admittendum.

Maj. Est certa, non enim datur alia hypothesis facienda.

Min. a) Non primum, quia ordo rerum existentium ab ordine ideali regitur.

b) Non secundum propter eandem rationem.

c) Non tertium, quia non minus videtur repugnare ordinem rerum possibilium esse a se, quam ordinem rerum existentium esse a se: sicut enim in hoc habetur multitudo diversorum hierarchice dispositorum et in unum conspirantium, ita in illo. Undenam habet v. g. animalitas ut societur cum rationalitate potius quam cum irrationalitate? Nulla est determinatio essentialis in ipsa animalitate, cum repugnet aliquid esse essentialiter determinatum ad duo, quae contradictorie opponuntur.

d) Ergo 4um est tenendum. Existit ergo intelligentia suprema, quae est fons totius intelligibilitatis et veritatis.

Hanc intelligentiam supremam actu esse, et non mere possibilem vel cogitabilem, patet:

α) Quia secus per aliam intelligentiam esset cogitabilem, et sic in infinitum.

β) Ex eo quod ordo idealis est realis, in quantum nempe opponitur nihilo, ideoque revera sit oportet in aliquo intellectu, tamquam in eius prima fonte et origine.

γ) *Confirmatur:* 1) Cum *verum* dicatur per ordinem ad intellectum, et veritas rerum, sive existentium sive possibilium, sit mensura veritatis intellectus nostri, sequitur res, sive existentes sive possibiles, dici veras primario per ordinem ad alium intellectum, secundario per ordinem ad nostrum.

2) Cum possibile, prout hic sumitur, in sociabilitate notarum consistat; sociabilitas autem quandam potentialitatem importet, et potentialitas denique actum supponat a quo actuetur; possibile, seu actu sociatum, actualem intellectum supponit, a quo facta sit illa associatio; qui intellectus certe non est noster, hic enim, rebus quidem existentibus eum iuvantibus, illam associationem non facit, sed detegit tantum.

Nota. Ut quisque potuit per se ipsum notare, tota argumentatio hucusque exposita idem obiectum materiale respicit, quae est rerum universalitas, sive existentium sive possibilium, sub diverso tamen respectu considerata. In quantum in ea sunt res mutationibus obnoxiae, argumentum ex motu confecimus; in quantum in ea sunt res quae de novo pro-

ducuntur, argumentum effecimus ex rerum efficientia; in quantum in ea sunt res caducae et fluxae, argumentum ex rerum constingentia desumpsimus; in quantum in ea res conspiciuntur, quae diversimode perfectiones absolutas participant, argumentum confectum est ex gradibus entium; in quantum denique rerum actualitas, et ipse intellectus noster legibus reguntur, quibus ordo idealis continetur, argumentum desumpsimus ex absoluta ordinis idealis necessitate et intelligibilitate.

Probatum ergo est existere Motorem primum immobilem, qui est ratio sufficiens adaequata omnium rerum mutationum; existere Causam primam improductam, quae est ratio sufficiens adaequata rerum efficientiae; existere Ens absolute necessarium, quod est ratio sufficiens adaequata rerum contingentiae; existere Ens summe perfectum, quod ratio sufficiens est et adaequata omnium perfectionum, quas res communicatas habent; existere denique supremam Intelligentiam, quae est ratio sufficiens veritatis et intelligibilitatis rerum. Sed suntne Motor immobilis, Causa improducta, Ens absolute necessarium, Ens simpliciter summe perfectum et fons omnis veritatis et intelligibilitatis unum idemque numero Ens? Hoc immediate non constat ex adductis argumentis; probabitur postea.

Solvuntur difficultates

Contra 1am P.

1) Si quod movetur supponitur constitui partibus, quarum una alteram moveat, non opus est ad motorem distinctum recurrere.

R. N. Nam, aut pars quae movet et ipsa movetur, aut est prorsus immobilis.

Si 1um, ab alio movetur.

Si 2um, ab alio est, ut cum parte mobili in compositionem veniat.

2) Vivens seipsum movet.

D. Est causa totalis sui motus N. partialis C.

3) Si ponitur aliquid esse in actu virtuali et simul in potentia ad actum formalem alicuius perfectionis, non est opus recurrere ad motorem extrinsecum. *(Scotus).*

R. N. Nam actus virtualis aut sufficiens est ad perfectionem illam conferendam, aut non.

Si 1um, ergo eam possidet saltem in gradu aequali, ideoque non acquiritur.

Si 2um, necesse est ad motorem extrinsecum recurrere.

4) Si series motorum et moventium circulariter movetur, non est opus recurrere ad motorem externum.

R. N. Nam, *a)* tota series manet insufficiens, cum constet partibus, quarum singulae sunt insufficientes, neque insufficientia tollitur per hoc, quod motus sit circularis, immo.

b) aliud conveniens additur in eo quod unumquodque esset causa et effectus relate ad idem, v. g. docens et doctum.

5) Argumentum ex motu probat quidem dari motorem 1um relate ad aliquem motum, sed non relate ad omnem motum.

D. Probat explicite Tr. implicite N.

Explico. Etsi argumentum initium sumat ex consideratione motus physici, nititur tamen notione motus metaphysice sumpti, ideoque probat pro quavis specie motus dari motorem primum immobilem. Quod autem hic motor sit unus idemque pro omnibus motibus, argumentum explicite non probat, sed facile deducitur ex analysi notionis motoris immobilis, qui cum sit actus primus, ideoque subsistens, est infinitus; et cum repugnat dari plura entia infinita, ut alibi dicetur, unus idemque pro omnibus motibus admittendus est motor primus immobilis. Praeterea cum omnes motus universi, quamvis specie diversi, sint tamen ordinatissimi et in unum conspirent, ab uno motore initium habeant oportet.

6) Quod ab alio movetur ad movendum, est mere instrumentum.

Atqui agentia naturalia non sunt mera instrumenta.

Ergo agentia naturalia movent, quin moveantur ab alio.

D. M. Est mere instrumentum, si movetur ad aliquid peragendum, quod excedat suam efficientiam C. secus Sbd. est instrumentum secundum illam rationem, secundum quam causa principalis attingit effectum C. secundum quam causa instrumentalis attingit eundem effectum N.

C. d. m.

N. c.

Explico. Idem effectus est totus a causa prima et totus a causa secunda, sed ratione diversa: sub ratione entis est a causa prima; sub ratione talis entis est a causa secunda.

7) Si admittitur hypothesis modernae scientiae, secundum quam realitas tota est mobilis, atque phaenomena universi unum continuum dynamicum constituunt, ruit fundamentum primi argumenti, et consequenter cetera etiam multum debilitantur.

(Le Roy, ex doctrina Bergson).

R. C. Sed nego illam hypothesim esse admittendam, cum nullis rationibus propabilibus nitatur; falsa enim sunt, quae nobis adversarii attribuunt, nempe principium illud, quod in-

vocamus, supponere mundum constare substantiis distinctis et ab invicem separatis atque in se immobilibus; motum autem a nobis concipi ut formam, quae transeat ex movente in motum, et tandem gratis a nobis supponi movens habere primatum respectu mobilis, seu actum respectu potentiae. Argumentum non solum praescindit a quavis specie motus, sed etiam ab hoc, quod mundus sit ens realiter unum vel multiplex, quamvis et hoc non gratis supponeretur, cum ratio id evidentissime probet ex datis experientiae. Argumentum assumit motum, quem considerat non ut formam, quae transeat de uno in aliud, sed ut transitum de potentia in actum, qui transitus in eodem mobili locum habet, et cuius mobile nequit esse ratio adaequata et sufficiens. Quod autem dicitur de primatu motoris respectu mobilis, hoc non supponitur, sed deducitur evidenti argumentatione. Praeterea nemo non videt, in rerum universitate, seu absolute loquendo, actum praecedere potentiam.

8) S. Thomas sequens Aristotelem initium sumit in sua argumentatione ex motu mechanice acceptum.

Atqui systema mechanicum nonnisi impulsu mechanico moveri potest.

Ergo ex motu, prout accipitur a S. Thoma, assurgi nequit ad motorem extra systema mechanicum existentem, ideoque a mundo distinctum.

(Ita fere Gentile. — I problemi della Scolastica e il pensiero italiano. — Cap. — Dio e il mondo, pag. 77).

R. 1) N. M. *a)* Quia tum Aristoteles, tum S. Thomas in argumento conficiendo principium invocant metaphysicum : « Omne quod movetur, ab alio movetur », quod non de solo motu mechanice accepto valet, sed de quavis specie motus.

b) S. Thomas sequens Aristotelem initium facit ex motu, qui *sensu constat*, nempe ex motu physico, qui non in solo motu mechanico consistit, quamvis scientia physica solum elementum mechanicum in phaenomenis mundi considerat, ob finem perculiarem sibi propositum, qui est phaenomena mensurare, formulis exprimere atque ad quamdam unitatem redigere. Ceterum est inter modernos scientificos viros strenua reactio contra mechanicismum, quae phanomenis physicis elementum qualitativum restituit. Haec nova tendentia dicitur energetismus, de quo aliquid diximus in Cosmologia.

c) Ipse prof. Gentile agnoscit Aristotelem, et con sequenter S. Thomam, motum intelligere non solum localem, qui solus est quantitativus seu mechanicus, sed etiam alias species motus, imo totam vitam universi (Cf. op. cit. p. 78).

R. 2) Tr. M. Neg. min.

Etiamsi Universus conciperetur ut systema mechanicum, non inde sequeretur impulsum initialem debere esse naturae mechanicae. Quod patet:

a) Ex auctoritate virorum magni ingenii, ut Galileo, Cartesio, Newton, Secchi et aliorum, qui habuerunt conceptionem mechanicam universi, et tamen admiserunt motorem ab universo distinctum.

b) Ex doctrina materialistarum, quorum principes, etsi habeant conceptionem universi pure mechanicam, attamen ponunt originem motus inter universi aenigmata, optime intelligentes, se non posse solo mechanismo originem motus mechanici explicare.

c) Declaratur exemplo: Quisque nostrum v. g. ad nutum suae voluntatis potest brachium movere, movendo brachium movet baculum, baculo movet lapidem, et ita porro; iamvero lapis, baculus et brachium systema mechanicum constituunt, sed impulsus initialis, nempe motus voluntatis, non est naturae mechanicae.

(Cf. Ballerini. L'Esistenza di Dio, p. 247. N. 1.).

Contra 2am P.

1) Non repugnat series infinita causarum efficientium subordinatarum.

D. Per se subordinatarum N. per accidens subordinatarum Sbd. admissa causa extra seriem, quae huic sufficientiam conferat C. illa non admissa N.

2) Semper phaenomenum aliquod suum antecedens consequitur.

D. Posito primo C. hoc non posito Sbd. admissa causa sufficienti extra seriem C. secus N.

3) Potest collectioni praedicatum convenire, quod non convenit singulis.

D. Si neque totaliter, neque inchoactive singulis convenit N. Si non convenit totaliter, convenit tamen inchoactive C.

Contra 3am P.

1) Contingens idem est ac possibile.

Atqui possibile non dicit dependentiam a necessario.

Ergo neque contingens.

D. M. Adaequate sumptum N. inadequaete C.

D. m. Explicite C. implicite N.

N. C.

Explico. Contingens et possibile conveniunt in hoc quod utrumque non repugnat esse, neque non esse; attamen differunt in hoc quod contingens includit esse, possibile non inclu-

dit. Possibile explicite dicit quod non est, sed potest esse: sed si non est, potest non esse; quod autem non est, ab alio pendet ut sit.

2) Causatio mundi aut est libera, aut necessaria :

Si 1um, non datur ascensus necessarius ex mundo in Deum.

Si 2um, non datur distinctio inter Deum et mundum ; uterque enim est necessarius eadem necessitate.

C. M.

D. 1am p. m. Non datur ascensus necessarius, si mundus non habet necessariam dependentiam a Deo C. si habet N.

D. 2am p. m. Si causatio mundi ponitur absolute necessaria C. si hypothetice necessaria N.

Explico. Causatio mundi dici potest necessaria, posito liberrimo Dei decreto mundum causandi.

4) In notione entis contingentis non continetur notio entis necessarii.

D. Non continetur ratio ex qua deducitur notio entis necessarii N. notio entis necessarii non est constitutivum notionis entis contingentis C.

Contra 4am **P.**

1) Argumentum ex gradibus entium, si valet, probat etiam perfectiones in Deo esse eiusdem generis vel speciei, ac perfectiones quae sunt in rebus mundanis.

D. Si Deo et creaturis univoce convenirent C. si analogice conveniunt N.

Explico. Perfectiones absolutae seu simplices sunt in Deo et creaturis, sed in Deo sunt divino modo, in creaturis sunt modo creaturis conveniente, nempe limitatae finitae participatae etc.

2) Si argumentum quid valeret, probaret etiam dari corpus maxime sapidum, maxime sonorum, maxime quantum, etc. quia etiam huiusmodi sunt perfectiones. quae participantur secundum magis et minus.

D. Si argumentum desumeretur ex perfectionibus quarum conceptus imperfectionem importat C. secus N.

Dist. rationem additam: Sunt perfectiones mixtae C. simplices N.

3) Magis et minus sunt quantitatis affectiones.

D. Quantitatis vel molis vel virtutis C. quantitatis molis tantum N.

4) Summum ad quod *magis* et *minus* dicunt relationem, esse potest aliquid ideale.

D. Si *magis* et *minus* sumuntur in abstracto C. si concrete,

in quantum demonstrant hanc et illam perfectionem non possideri vi essentiae, sed ab alio participatam N.

Contra 5am **P.**

1) Non est evidens fundamentum possibilium esse ponendum in aliquo ente infinito actu existente.

D. Immediate non est evidens. Tr. mediate N.

Explico. Ordo possibilium est aliquid actuatum, utique non in ordine rerum existentium, sed in ordine ideali, neque potest esse aliquid actuatum nisi per aliquam mentem actuantem, quae certe non est humana, neque alia creata.

2) Ordo idealis satis explicatur activitate mentis humanae et rerum existentium consideratione.

D. Quoad cognitionem C. quod esse N.

3) Si Deus non esset, vera esset haec propositio : *Nihil est.* Atqui si ita, Deus non est dicendus fons omnis veritatis. Ergo.

D. M. Esset vera simul et falsa C. vera simpliciter N.

C. d. m. Si propositio illa esset simpliciter vera C. si vera esset simul et falsa N.

N. c.

Explico. Ex absurdo sequitur quodlibet, ideoque si Deus non esset, quod est absurdum, sequeretur quodlibet, ideoque etiam verum esse simul falsum, seu esse falsum principium contradictionis.

Quod autem propositio: *Nihil est,* in hypothesi absurda Dei non existentis, esset simul vera et falsa, intelligitur : vera, quia de facto nihil esset ; esset falsa, quia cum *nihil* concipi nequeat nisi indirecte, nempe per respectum ad ens, et ens non esset in facta hypotesi, neque *nihil* concipi posset.

4) Argumentum ideologicum videtur non differre ab argumento ontologico, utrumque enim arguunt ex ordine ideali.

R. N. Ad rationem additam D. Utrumque arguunt ex ordine ideali, idem et eodem modo concludendo N. diversum et diverso modo concludendo C.

Explico : Argumentum ontologicum procedit ex conceptu Dei ad esse Dei. Argumentum ideologicum procedit ex conceptu rerum possibilium ad esse Dei, ut est radix et fons omnis possibilitatis, ideoque est vera demonstratio a posteriori.

5) Possibilitas non ad esse causae, sed ad potentiam causae dicit ordinem.

D. Possibilitas extrinseca C. intrinseca N.

THESIS III.

Probatur Deum esse argumento teleologico, biologico, entropologico.

St. Q. 1) Hae thesi exponuntur tria ex argumentis, quae physica nuncupari solent, quia ratione utuntur, quae natura sua non convenit nisi rebus naturalibus et corporeis; dum in argumentis metaphysicis conficiendis rationibus usi sumus, quae etsi a rebus sensibilibus hauriuntur, ab harum tamen conditionibus praescindunt, ut sunt rationes mutabilitatis, dependentiae, contingentiae, possibilitatis. Attamen certitudo quae argumentis physicis gignitur,sin minus materialiter, formaliter tamen seu reductive metaphysica dicenda est; valorem enim suum ultimo accipiunt ex applicatione principii causalitatis quod principium est analyticum et metaphysicum, ut alibi dictum est,

2) Itaque primum argumentum desumitur ex mundi finalitate, seu tendentia naturali, quae omnibus et singulis mundi entibus inest ad finem cuiusque proprium, et totalem universi attingendum. Ex hac immanente finalitate vel tendentia naturali exurgit mirabilis illa conspiratio in unum, ordo ille conspicuus, valde complexus et constans, ob quem rerum sensibilium universitas a Graecis *Cosmos* seu ornatus dicta est, a Latinis autem *Mundus* seu nitidus.

3) Est itaque ordo: Apta dispositio mediorum ad finem, vel ut ait Augustinus (De civ. Dei – XIX,13): Parium dispariumque sua cuique loca tribuens dispositio. Distinguunt philosophi ordinem:

a) In ordinem intentum et ordinem effectum.

Ordo intentus est apta dispositio mediorum ad finem facta ex cognitione et intentione finis; v. g. dispositio apta rotularum ceterarumque partium horologii est ordo intentus, quia facta ab artifice ex cognitione et intentione finis, qui est horas indicare.

Ordo effectus habetur cum aliquod bonum obtinetur ex positione alicuius medii, quod tamen non ponitur ex cognitione et intentione illius boni obtinendi; v. g. cum quis effodiendo terram thesaurum invenit, inventio thesauri sequitur de facto terrae effossionem, attamen neque effossio terrae est ad inveniendum thesaurum, neque ille ad thesaurum inveniendum terram effodiit.

b) In ordinem internum et externum.

Ordo internus, qui etiam particularis vel coordinationis di-

citur, est tendentia singulorum ad proprium cuiusque finem vel bonum obtinendum; v. g. tendentia facultatis visivae ad videndum.

Ordo externus, qui etiam universalis vel subordinationis dicitur, est conspiratio omnium ad finem vel bonum totius universi, quod bonum obtineri nequit, nisi fines particulares alii aliis apte subordinentur; sic v. g. mineralia sunt ad bonum vegetantium; vegetantia sunt ad bonum animantium; omnia autem sunt ad bonum hominis.

c) Utrumque, internum nempe et externum, distinguunt in staticum et dynamicum, prout resultat ex partium constitutione vel dispositione, aut ex earundem activitate ad unum opus perficiendum intenta.

Nota. Hic notandum, agere propter finem dupliciter intelligi posse: vel enim aliquid se ipsum agit in finem, ideoque et cognoscit finem et mediorum proportionem ad ipsum; vel ab alio agitur in finem, et tunc non requiritur in eo cognitio finis mediorumque ad finem proportionis. Sic v. g. nemo negabit sagittam a sagittario emissam, et horologium affabre constructum moveri ex intentione finis, quamvis in eis non sit cognitio, neque finis, neque mediorum ad finem.

Praeterea notatum volumus, nos non defendere mundum hunc quem conspicimus esse absolute perfectum, sed tenemus eum esse relative perfectum, ideoque dari in eo apparentes deordinationes, quae tamen non impediunt quominus mundus dicatur opus ordinatum; etenim et illae apparentes deordinationes suam habent explicationem, quae optime consonat cum fine universali.

5) Secundum argumentum desumitur ex origine vitae. Constat enim ex Geologia et Palaeontologia vitam non semper fuisse super terram, sed ortum habuisse longa periodo postquam terra iam erat. Sponte igitur enascitur quaestio, undenam primi organismi ortum habuerint.

Duplex fingi potest hypothesis: vel enim ex materia praeexistente ortum habuerunt per generationem aequivocam seu spontaneam, nulla operatione alicuius entis superioris ordinis; vel ex materia quidem praeexistente, sed actione alicuius entis supermundani. Hanc alteram hypothesim esse tenendam in thesi demonstrabitur.

6) Tertium argumentum desumitur ex entropia universi, seu ex tendentia omnium energiarum, quae in universo agunt ad sese aequilibrandum, ex quo facto aequilibrio mundani cursus sequetur interitio. Constat enim ex experimentis a viris scientificis factis, energiam cineticam in aequivalentem quantitatem caloris esse convertibilem; calorem autem in ae-

quivalentem quantitatem energiae cineticae iterum converti posse. Hoc est primum principium thermodynamicae, quod lex aequivalentiae vel conservationis energiae dici solet. Insuper observatum est, calorem, ut in motum vel laborem mechanicum converti possit, transire debere ex medio calido ad medium frigidum vel minus calidum. Sed in hac transmissione facienda notatum est, calorem de facto nunquam integraliter in laborem mechanicum reverti, sicut theoretice evenire deberet, sed eius pars notabilis aeque diffundi vel aequilibrari per diversas partes medii calefacti. Hoc est secundum principium thermodynamicae, quod entropia vel lex degradationis energiae nuncupari solet.

Hoc factum degradationis energiae verificari etiam quoad universum viri scientifici probant, et concludunt diem venturum, in quo, entropia totaliter facta, omnis motus omnisque vita cessabit.

Sed ex hac doctrina a viris scientificis admissa novum pro re nostra argumentum enascitur satis firmum ; si enim mundi cursus aliquando cessabit, evidens est eum olim initium habuisse ; nisi enim habuisset, iam energiae universi essent ad aequilibrium redactae, et motus et vita iam cessassent.

7) Adversantur thesi :

a) Materialistae et omnes qui interpretationem pure mechanicam Universi admittunt. Hi, causis finalibus a mundo reiectis, tenent omnia in mundo fieri per solas causas efficientes; admittunt scil. ordinem effectum, negant autem ordinem intentum. *Mechanicistae* tamen non omnes sunt athei , sed solum qui materialismo sunt addicti : hi enim, Deo negato, materiam admittunt necessariam, aeternam, motu praeditam, vi cuius poterant atomi ab aeterno in spatio sese voluntantes infinitas inire combinationes, ex quibus de facto hanc praesentem quam conspicimus, causali concursu inierunt. Ita veteres atomistae, quibus concinunt non pauci ex recentioribus materialistis.

b) Qui realitatem quamdam primordialem admittunt interna determinatione affecta, vi cuius impellatur ad sese evolvendum fatali quadam et caeca necessitate ; ex hac fatali et caeca evolutione praesens ordo mundanus originem sumpsit. Hi, ut patet, internam quamdam finalitatem seu tendentiam admittunt, sed, cum eam faciant fatalem caecam sibique sufficientem, vix nomen finalitatis meretur.

Realitas illa primordialis materialistis moderatis, quibus adhaerent qui transformismum monisticum profitentur, est materia suis viribus vel energiis donata, quibus impellitur pro varietate adiunctorum varias assumere formas.

Pantheistis realibus est substantia aeterna, unica, infinita infinitis attributis vestita, respectu cuius res mundanae sunt modi finiti extensionis vel intellectionis infinitae.

Pantheistis idealibus realitas illa primordialis est *Absolutum* quoddam diversimode nuncupatum pro diversa auctorum indole.

c) Alteri parti thesis adversantur *Organicistae*, qui vitam repetunt ex materiae viribus speciali quodam modo attemperatis. *Transformistae universales*, qui vitam repetunt ex materia in organica per generationem spontaneam, vel aliam fingunt hypothesim, nulla tamen entis supermundani actione admissa.

d) Tertiae partis adversarii sunt qui, vel negant legem entropiae applicari posse energiis universi, vel, admissa quidem universali entropia, negant cursum mundanum ita interire, ut reintegrari non possit; praesentem cursum enim dicunt esse unam ex phasibus infinitis, quas mundus subiit, atque iterum iterumque subibit.

8) Thesis tribus partibus continetur, quas singulas uti certas defendimus.

I. P. Probatur Deum esse argumento teleologico.

1) Viget in mundo ordo constans, valde complexus et vere mirabilis.

Atqui ordo huiusmodi explicari nequit nisi per causam ordinatricem intellectu et voluntate praeditam.

Ergo existit causa ordinatrix mundi intellectu et voluntate praedita.

Maj. Factum enuntiat, quod unanimiter agnoscunt scientiae naturales omnes: mechanices, physices, chimia, mineralogia, cristallographia, geologia, astronomia, biologia, anatomia, physiologia testantur omnia in mundo fieri *in pondere et mensura:* nullus nisi caecus et mentecaptus non potest admiratione perculsus non affirmare omnia *in sapientia* esse facta.

Min. Ordo constans, valde complexus et vere mirabilis qui in mundo viget, aut est a casu, aut a caeca necessitate, aut a causa intelligenti.

Atqui primum et alterum repugnant.

Ergo 3^{um} tenendum est.

2^{a} *min.*

a) Repugnat 1^{um}.

Casus aut intelligitur negatio causae, aut concursus fortuitus causarum.

Si 1^{um}, nequit casus esse ratio sufficiens ordinis mundani, qui cum sit effectus, causam postulat.

Si 2um, nequit esse casus ratio sufficiens constantiae huius ordinis, quod enim est *per accidens*, non est constans.

b) Repugnat alterum.

Necessitas caeca enim aut intelligitur ad mentem monismi pantheistici, aut ad mentem monismi materialistici.

Atqui utrumque est falsum.

Ergo falsum est ordinem mundanum ex caeca necessitate esse repetendum.

Min. Quoad 1um probatur falsa ex argumentis adductis pro libertate humana et ex refutatione Pantheismi inferius facienda.

Quoad 2um esse falsa ita probatur:

Elementa materialia ex quorum concursu ortum mundus habuisset, aut eadem mole constant, eodemque agitantur motu, aut diversa constant mole diversisque agitantur motibus.

Si 1um, non intelligitur quomodo ex se concurrere, et tot tamque varias et complexas combinationes inire potuerint, cum potius oppositum verificari debuerit, nempe elementa illa nullam ex se potuisse combinationem inire; ex se enim indifferentia erant ad quamcumque combinationem ineundam.

Si 2um, reddenda est ratio talis diversitatis, quae certe ex ipsis elementis repeti nequit: cur v. g. atomus hydrogenii sit tali mole constituta et non alia; cur habeat talem affinitatem et non aliam; cur sidera habeant talem situationem et non aliam, tales perficiant gyros et non alios. Caeca necessitas, hoc ipso quod caeca est, distinguere nequit, neque explicationem afferre potest; sicut v. g. metallum ex quo factae sunt partes alicuius machinae nequit esse ratio sufficiens cur partes sint diversimode elaboratae, et aptis locis collocatae, sed aliunde petenda est haec ratio; sicut diversitas instrumentorum nequit esse ratio sufficiens cur in unum concentum concurrant, sed ab alio petenda est conspiratio.

Haec sunt clara, et qui primas tenent inter materialistas, candide fatentur se non posse explicare apparentem finalitatem, quae in mundo viget. (Cf. Ballerini, op. cit. p. 230).

2) Brevius ad mentem S. Thomae:

Quod agit propter finem, neque cognoscit finem, ab alio agitur in finem.

Atqui plura in mundo agunt propter finem, neque cognoscunt finem.

Ergo ab alio aguntur in finem.

Maj. Agere propter finem significat, finem movere causam agentem ad agendum.

Atqui nequit movere physice, quia finis ante assecutionem nondum est; post assecutionem non amplius movet.

Ergo movet intentionaliter, seu praevia cognitione sui; ideoque si aliquid agit propter finem, quin finem cognoscat, non seipsum agit, sed ab alio agitur in finem.

Min. 1ª arg.

a) Ex modo constanti et uniformi agendi agentium naturalium: quod enim casu agit, vel praeter intentionem, non constanter, neque uniformiter agit.

b) Nisi agentia naturalia agerent ex intentione finis, ad fines determinatos non opus esset agentibus determinatis uti. (Cf. Ballerini op. cit. pag. 236 et seq.)

c) Ex universali persuasione: exceptis enim *fortasse* quibusdam philosophis, omnibus persuasum est, dentes v. g. esse ad cibos triturandos, oculos ad videndum, alas ad volandum. (Cf. Ballerini op. cit. p. 285).

Dixi *fortasse* quibusdam philosophis exceptis, quia qui negant finalitatem universi, fortasse propter necessitatem causae quam defendunt hoc faciunt, non quia revera intime tenent nullam dari finalitatem, cum haec sit tam manifesta, ut nullus nisi caecus et mentecaptus negare possit (Cf. Sap. cap. 13).

Nota. Argumentum ex finalitate cum primis quatuor argumentis thesis praecedentis constituit, quae vulgo dicuntur *quinque viae* S. Thomae.

II. P. Probatur Deum esse argumento biologico.

Vita non semper fuit in mundo, sed orta est, cum iam terra longa periodo existeret: iamvero, aut orta est ex materia anorganica per generationem spontaneam; aut per actionem alicuius entis supermundani.

Atqui 1ᵘᵐ repugnat.

Ergo 2ᵘᵐ tenendum est.

1ª p. *Maj.* Affirmat factum scientifice certum: Geologia enim testatur conditiones primordiales terrae vitam fecisse impossibilem.

(Cf. Ballerini. L'esistenza di Dio di fronte alla scienza—pag. 273 et seq. Sauerwein. Histoire de la terre—p. 19).

Huius facti aliqua confirmatio habetur ex Palaeontologia testante in imis terrae stratis nullum haberi vestigium naturae viventis.

2ª p. *Maj.* Non datur alia hypothesis facienda.

Min. a) A priori.

Impossibile est id quod maius est a minore procedere.

Atqui majus est esse vivens, quam non vivens.

Ergo impossibile est vivens a non vivente procedere.

Maj. h. arg. est principium causalitatis.

Min. Intelligitur ab omnibus, qui rectam notionem habent vitae.

b) A posteriori.

Facta non supponuntur, sed probantur.

Atqui nullum datur factum in favorem generationis spontaneae.

Ergo generatio spontanea non datur.

Maj. Est evidens: etsi enim concedatur aliquid esse possibile, non ideo sequeretur idipsum esse.

Min. Ex factis, quae ab adversariis undique congeruntur, quaedam sunt mera commenta; alia aliter explicanda sunt, quam per generationem spontaneam, ut invicte probavit clarissimus Pasteur.

(Cf. Ballerini ib. pag. 274 et seq.).

c) Confirmatur ex testimonio virorum scientificorum, etiam ex adversariis, quibus persuasum est phaenomena vitae nullo modo reduci posse ad phaenomena physico-chimica.

(Cf. Ballerini ib. p. 273. Liberatore. Cosmologia, p. 147. Wallace. Il posto dell' uomo nell' universo, p. 271).

Nota. Argumentum repeti potest pro vita sensitiva et intellectuali, quarum prima oriri non potest ex vita vegetativa, et multo minus a materia inorganica; altera nonnisi per creationem immediate a Deo oriri potuit.

III. Pars. Probatur Deum esse argumento entropologico.

Energiae universi ad finale aequilibrium tendunt, quo facto, cessabit mundi cursus.

Atqui nisi mundi cursus habuisset initium, iam energiae universi essent ad aequilibrium redactae.

Ergo mundi cursus initium habuit.

Maj. Factum enuntiat generatim admissum a viris scientificis. (Cf. Farges. L' Idee de Dieu, p. 93 seqq.).

Min. Nisi cursus mundi initium habuisset, energiae sufficientem temporis lapsum habuissent ad sese aequilibrandum. Iamvero, aut initium habuit a se, aut ab alio: 1um repugnat, ergo alterum tenendum est; existit ergo Deus, mundani cursus auctor.

Solvuntur difficultates.

Contra 1am **P.** (Cf. Hontheim. Theod. p. 178 et seqq.).

1) Non cognoscimus nisi minimam partem mundi (Schultze).

D. Quae cum sit ordinata, sufficiens est ad cognoscendum ordinatorem C. non est N.

Explico : Cognitio unius horologii satis est ad cognoscendum artificem sapientem.

2) Nequit perfecte cognosci finalitas partis, nisi cognoscatur finalitas totius (id.).

D. Nequit cognosci finis proximus partis N. finis ultimus Sbd. nisi cognoscatur finis ultimus in genere C. in specie N.

Declar. Scimus v. g. oculum esse ad videndum ; videre esse ad bonum totius organismi, etsi fortasse nescimus quodnam determinate sit hoc bonum. Ad mundum autem quod spectat, scimus eum esse ad gloriam Dei extrinsecam.

3) Ut sciremus finem universi in genere, deberemus scire omnes et singulas partes universi, etiam minimas, ad eundem finem conspirare (id.).

D. Debemus posse affirmare hoc inductione ex pluribus sufficienter examinatis C. de singulis singillatim observatis N.

Decl. Possumus sine errore affirmare omnes et singulas partes, etiam minimas alicuius machinae ad finem totius conspirare, etsi non omnes est singulas cognoscamus, sed aliquas tantum. Iamvero de mundo plurima cognoscimus esse ordinata, ex quibus concludere possumus etiam alia, quae non cognoscimus, esse ordinata.

4) In mundo plura sunt absque consilio ; v. g. profusio seminum, ut unum vel alterum vivens nascatur.

R. *a)* D. Plurima sunt quoque sapientissime facta, quae explicari non possunt nisi per sapientissimum ordinatorem C. non sunt N.

b) D. Plurima sunt, quorum ignoramus finem C. plura sunt, quae non attingunt finem Sbd. finem particularem Tr. universalem ab ordinatore intentum N.

Decl. a) Illa profusio v. g. arguit naturae, ideoque et auctoris naturae, ubertatem.

b) Semina, quae non germinant, non omni fine carent, inserviunt v. g. nutritioni vegetalium vel etiam avium, et terrae foecunditati.

c) Nemo stultitiae verteret viro militari, qui ad securandam victoriam plura pararet, quam quae sunt revera necessasaria ; nemo insipientem diceret illum, qui ad lucrum securandum in aliqua *loteria*, plures emeret cartulas, quarum scit unam tantum exitum habituram. Iamvero in casu nostro agitur de specierum constantia securanda in tanta elementorum pugna, ideoque sapientissimum est plura germina parare, quam quae revera germinabunt. Neque scopus argumenti est concludere immediate ad ordinatorem infinita sapientia praeditum, sed ad ornatorem sapientem, seu excludere mundi ordinem esse a casu vel caeca necessitate ; hoc enim satis est pro praesenti,

5) Plurima sunt in mundo mala, tum physica tum moralia.

D. Quae probant mundum non esse absolute perfectum seu optimum C. probant non esse ordinatum et relative perfectum seu aptum ad finem attingendum ab ordinatore intentum N.

Declar. Finis universi est gloria Conditoris, quae non impeditur malis sive physicis sive moralibus quae sunt in mundo, imo potius promovetur: ostendunt enim Conditorem esse tantae virtutis et potentiae, ut ex ipsis malis oriri faciat bonum; mala physica enim sunt semper ad aliquod bonum, moralia, quorum causa est voluntas libera hominum, divina attributa manifestare possunt, v. g. misericordiam, sanctitatem, iustitiam Dei, ut dictum est suo loco.

6) Finalitas est quid vere portentosum, faciens primum quod est ultimum (Spinoza).

D. Faciens primum in ordine intentionali quod est ultimum in ordine reali C. faciens primum in ordine reali quod est ultimum in ordine reali N.

Explico. Finis est primus in intentione, ultimus in executione.

7) Argumentum ex finalitate nititur analogia cum operibus artefactis.

D. Analogia est quaedam confirmatio C. est sola argumentatio N.

Decl. Argumentamur ex notione ordinis, qui in mundo viget, quique sufficienter explicari nequit nisi per mentem ordinatricem. Confirmationem accipimus ex operibus artis.

8) Ad explicandum ordinem mundanum sufficiunt vires mechanicae, quibus materia est instructa.

D. Sufficiunt ad rationem proximam Tr. ultimam N.

Decl. Vires mechanicae, nisi a mente aliqua dirigantur, nequeunt opus ordinatum constituere, imo sibi ipsis relictae confusionem potius producunt et mortem.

9) Praesens ordo est una ex possibilibus combinationibus, quas atomi ab aeterno iniri poterunt.

D. Quam tamen nunquam iniissent nisi ab alio fuissent directae C. iniissent N.

Decl. Combinatio haec stabilis non esset, si a solis atomis absque ulla finalitate orta esset: elementa enim quibus mundus constat perpetuis vicissitudinibus sunt obnoxia, quibus non obstantibus, eaedem semper species recurrunt, idem semper ordo mundanus perdurat. Si in ludo tesserarum v. g. semper eadem combinatio numerorum prodiret, nonne dicenda esset illa combinatio non casu fieri, sed ex determinatione seu intentione ab alio accepta?

10) Quandoque ex casu fit opus optime ordinatum.

D. Ex casu qui est negatio causae N. ex casu qui est causalis concursus diversarum causarum Sbd. hoc fit semper N. raro, imo rarissime C.

Decl. Argumentum non desumitur ex eis quae fiunt raro, sed ex eis quae fiunt constanter ; quae constantia nequit oriri ex causis per accidens, sed ex causis per se, seu ad hoc natis explicari debet. Mirum tamen est, quod sint auctores etiam inter catholicos, qui teneant non repugnare absolute praesensentem ordinem ortum habuisse ex fortuito concursu atomorum ; nos autem cum aliis bene multis, principio rationis sufficientis innixi, tenemus repugnare absolute. (Cf. *Ballerini.* Esistenza di Dio, p. 243, N. 1).

11) Laplace, rogatus cur in suo systemate explicando nullam mentionem de Deo fecisse, respondisse fertur, Deum non esse hypothesim necessariam.

D. Ad scopum auctoris Tr. ad rationem vere sufficientem, qui scopus est philosophiae N.

Decl. Laplace in exponenda sua hypothesi cosmogonica multa reliquit inesplicata, quae fortasse ad suum scopum non faciebant, v. g. non dixit quomodo nebulosa primordialis, quam fingit, sese formaverit, quomodo moveri inceperit, cur motu rotatorio et non translatorio ; cur uno sensu potius quam alio, et alia multa. Itaque Laplace nolebat rationem vere sufficientem assignare suae hypothesi. (Cf. Turpin. La formation des Mondes, p. 108. — Porro. L'Evoluzione cosmica, p. 18—Rossignoli. Vol I, p. 420. n. 858).

Contra 2am **P.**

1) Assurgere ad causam supernaturalem ad vitam explicandam est antiscientificum (Cantoni apud Ballerini op. cit. p. 276).

D. Ad assignandam rationem proximam Tr. ultimam et vere sufficientem Sbd. intellecta scientia sensu adulterato C. sensu genuino, nempe pro inquisitione in supremas causas rerum. N.

2) Omnia vivunt super terram, quamvis non in eodem gradu. (Haeckel, Morselli.—Cf. Ballerini, op. cit. p. 278).

D. Sensu metaphorico Tr. sensu proprio N.

Explico : Differentia essentialis inter viventia et non viventia est tam conspicua, ut nullus, nisi sit oculis captus, negare possit.

(Cf. Grasset. La Biologie humaine, cc. 3, 4).

3) Potuit primus organismus oriri ex elementis chimicis, cum conditiones aptae fuerunt ad combinationem ineundam. (Brofferio apud Ballerini op. cit. p. 281, N. 1)

N. Haec hypothesis excluditur :

a) *A priori;* quia phaenomena vitae, ipsis viris scientificis

fatentibus nullo modo reduci possunt ad phaenomena physico-chimica.

b) *A posteriori ;* nullum enim factum datur, quod illam hypotesim probabilem faciat.

4) In vivente eadem elementa inveniuntur, quae corpora anorganica constituunt.

D. Quae, cum phaenomena prodant sibi improportionata, ab altiori principio regi dicenda sunt C. ab altiori principio non reguntur N.

5) Potuerunt germina vitae a caelo delabi quibusdam aërolithis (Helmholtz).

R. *a*) Esto ; sed undenam vita in ceteris astris ?

b) N. Sunt enim viri scientifici, qui tenent solum planetam habitabilem esse terram. (Wallace op. cit. p. 351).

c) N. Germina periissent, vel propter defectum humiditatis in spatiis interplanetaris, vel certe propter calorem obortum in transitu ex illis spatiis in nostrum aërem. (Cf. Hontheim p. 201).

Contra 3am P.

1) Argumentum ex lege entropiae supponit universum esse systema finitum. (Lucien Poincaré. La Physique moderne p. 82).

R. *a*) D. Supponit gratuito N. rationibus innixum C.

Explico. Magnitudo infinita communiter tenetur a philosophis repugnare ; set etiam viri scientifici rationibus ex experientia deductis probant universum in infinitum non sese extendere. (Wallace. Op. cit, p. 182, 192, 105).

b) D. Posita universi extensione infinita, sequeretur energiam in infinitum esse convertendam locis numero infinitis C. sequeretur energiam infinitam esse singulis locis N.

2) Si supponuntur radii calorifici ad limites universi reflecti et concentrari in focos, potest sol extinctus in aliquem ex his focis impingere, et in nebulosam iterum converti, et sic cursus mundi reintegrari (Rankine apud Hontheim p. 195).

R. N. Reflexio enim et concentratio illa, etsi absotute non repugnant, de facto tamen non dantur, quia etiam nunc darentur, et sic sidera non observerentur sensim frigefieri, ut de facto observantur.

3) Si supponuntur mutationes olim factae, fuisse infinite parvae, non repugnat mundi cursum ab aeterno incepisse.

R. N. Sicut enim repugnat corpus aliquod infinita velocitate moveri, ita nempe ut percurrat infinitam distantiam successive quidem sed momento indivisibili, ita repugnat corpus localiter moveri velocitate infinite parva, ita ut primum locum per tot saecula successive reliquerit, neque ab eo distet spatio commensurabili.

4) Si supponitur mundus ad instar corporis elastici, quod sursum proiectum et ad certam altitudinem cum pervenerit, iterum terram petat post instans quietis absolutae ; et terra percussa, sursum denuo prosiliat et ita pluries suum cursum restauret, non sequitur mundum, facta entropia, in aeternum quiescere. (L. Poincarè loc. cit.).

R. N. *a*) Corpus elasticum postquam pluries suum cursum reintegravit, semper tamen degradando in sua velocitate, tandem definitive quiescit, neque suum cursum reintegrabit nisi ab alio iterum proiiciatur. Quod significat, etiam ab alio fuisse primo proiectum.

b) Facta entropia universali, energia motum iterum non gènerabit, nisi iterum concentrata fuerit, quae concentratio a se fieri nequit, sicut v. g. lamina elastica, quae horologium movet, cum tota est soluta, horologium non amplius movet, nisi iterum intendatur, quae intentio a se nunquam fiet.

5) In ultima conflagratione calor ex collisione obortus efficiet, ut sol in nebulosam iterum conversus mundi cursum restauret (Arrhenius).

R. N. Calor ille insufficiens erit ad mundi machinam iterum movendam, cum aequivalens non sit perditae energiae, cuius maior pars per spatia interstellaria diffusa erit. (Cf. H. Poincarè. Hypoth. Cosmogoniques p. 251, n. 180.

THESIS IV.

Probatur Deum esse ex consensu generis humani ; ex desiderio innato beatitudinis et ex ordinis moralis absoluta necessitate.

St. Q. 1) Hac thesi exponuntur tria ex argumentis quae mo-ralia dicuntur, nituntur enim rationibus, quae ad vitam vel mores hominum pertinent.

Primum desumitur ex consensu generis humani : constat enim ex etnologia universali, apud omnes populos, etiam incultos et barbaros, vigere persuasionem de existentia alicuius divinitatis, quam religione et cultu prosequuntur. Hoc factum esse univèrsale, iam nullus eruditus serio dubitat.

Neque contra huius facti universalitatem quidquam probat atheorum existentia ; tum quia dari atheos, qui intima persuasione teneant nullam existere divinitatem, est sat dubium ; tum quia, etsi concedamus existere huiusmodi atheos, eorum parvus numerus non impedit, quominus consensus generis humani in existentiam alicuius supremi numinis sit moraliter universalis, prout requiritur et sufficit, ut veram certitudinem fundet.

Si quis autem obiiceret multos dari populos, qui circa naturam divinitatis errent, is statum quaestionis se ignorare ostenderet; non enim in praesenti quaestio est de natura Dei, sed de Dei existentia.

2) Secundum argumentum desumitur ex desiderio innato beatitudinis.

Nota. Quibusdam auctoribus videtur argumentum hoc non esse efficax ad probandum Deum esse; dicunt enim ante demonstratam existentiam Dei non constare desiderium innatum beatitudinis ferri in bonum undequaque perfectum, seu infinitum. Sed argumentum adducitur a viris magni nominis, inter quos D. Augustinus. Nobis videtur efficax ad probandam existentiam Dei, uti ex ipsius argumenti expositione patebit.

Itaque appetitus generatim est tendentia in aliquod bonum. Est naturalis seu innatus, vel elicitus, prout consequitur formam naturalem, vel apprehensam. Elicitus autem est sensitivus vel rationalis, prout consequitur cognitionem sensitivam, vel intellectualem.

Beatitudo est status consequens assecutionem boni, praeter quod nihil superest desiderandum: tria ergo importat, nempe absentiam omnis mali, praesentiam omnis boni, certitudinem nunquam statum hunc amittendi. De his in Ethica.

3) Tertium argumentum desumitur ex ordinis moralis absoluta necessitate.

Nota. Neque argumentum hoc videtur quibusdam auctoribus satis efficax ad probandum Deum esse; dicunt enim obligationem moralem seu legem iam supponere notionem legislatoris. Sed etiam hoc, ut praecedens, affertur a viris doctissimis, inter quos Cicero et S. Augustinus. Nos, sicut fecimus in argumento ex necessitate ordinis idealis, assumimus factum, non prout est universale,sed prout manifestatur unicuique ratione utenti, et huius facti inquirimus rationem sufficientem; et cum haec ratio nequeat inveniri in voluntate humana, sive individuali, sive collectiva, in alio sit oportet.

Ordo moralis itaque est complexus relationum, quibus voluntas hominis conformare se debet, ut vitam agat honestam; huiusmodi sunt v. g.: Ordinem serva; declina a malo et fac bonum; honora patrem et matrem; mendacium ne proferas; furtum ne facias etc.

Apud omnes populos, etiam incultos et barbaros persuasio viget dari actiones malas quia a superiore prohibitas, et bonas quia a superiore imperatas; sed dari alias essentialiter bonas vel malas, seu independenter a quavis libera superioris ordinatione, et has thesis nostra respicit. Cum ergo dicimus ordinem moralem esse absolute necessarium, non intelligimus

eum in nullo habere fundamentum, sed non habere in intellectu nostro ipsum apprehendente, neque in ullo alio ente creato.

4) Ex adversariis specialem mentionem merentur:

a) Qui negant valorem sensus communis in genere, vel universalem persuasionem de existentia alicuius numinis ab aliis causis repetunt, quae eius certitudinem infirment, ut sunt v. g. timor, ignorantia, fraudes sacerdotum etc.

b) Qui vel hominis beatitudinem in affluentia bonorum huius vitae constituunt, ut veteres et moderni epicurei faciunt, vel in huius vitae malorum absentia reponunt, ut faciunt pessimistae.

c) Qui vel negant ullam dari veram obligationem moralem, ut sunt sectatores Moralis independentis, vel tenent hominem esse ipsum sibi legem, ut sunt kantiani.

5) Thesis habet tres partes, quas omnes ut certas defendimus.

I. P. Probatur Deum esse ex consensu generis humani.

Argum. Quod omnibus, ubique et semper persuasum est, est certo verum.

Atqui existere aliquod supremum Numen, quod hominum sortes regat, omnibus, ubique et semper persuasum est.

Ergo existere aliquod supremum Numen, quod sortes hominum regat, est certo verum.

Maj. Supponitur probata in Criteriologia.

Min. Constat ex etnologia universali: iam nullus est eruditus, qui neget apud omnes populos, etiam incultos et barbaros, vigere aliquam religionem et cultum in divinitatem. (Cf. Rossignoli Vol. I p. 401 N. 2. Urraburu Theodic. p. 143 et seqq. Boedder Theol. Nat. p. 88. Farges op. cit. p. 221).

II. P. Probatur Deum esse ex desiderio innato beatitudinis.

Argum. Desiderium naturale nequit esse inane.

Atqui desiderium beatitudinis est naturale.

Ergo desiderium beatitudinis nequit esse inane.

Maj. Vox naturae nequit esse fallax.

Atqui desiderium naturale est quasi vox naturae.

Ergo desiderium naturale nequit esse fallax.

Maj. huius arg: Secus natura ipsa impelleremur in falsum.

Min. 1^{i} arg. Quod inest omnibus, ubique et semper, a natura procedit.

Atqui desiderium beatitudinis inest omnibus ubique et semper.

Ergo desiderium beatitudinis a natura procedit.

Maj. huius arg. est applicatio principii causalitatis.

Min. Volumus omnes esse felices, et intuitu huius felicitatis omnia facimus; semper enim in nostris operationibus intendimus vel aliquod bonum consequi, vel malum aliquod vitare. (Cf. Hontheim. Theodicea — p. 206 et seqq.).

Manet ergo probatum desiderium beatitudinis non esse inane.

Atqui inane esset, nisi existeret bonum undequaque perfectum, in cuius possessione desiderium illud quietari possit.

Ergo existit bonum undequaque perfectum, quem Deum dicimus.

Min. Supponit motum voluntatis esse in bonum undequaque perfectum, quod ita probatur:

Argum. a) a priori ex obiecto formali voluntatis humanae. Obiectum formale voluntatis humanae est ipsa ratio boni, sicut obiectum formale intellectus est ipsa ratio entis, ut in psychologia dictum est, ideoque non potest intentio voluntatis perfecte quietari, nisi bonum attingat in quo sit tota ratio boni, sicut intentio intellectus quietari nequit, nisi ens contingat quod sit tota ratio entis.

Atqui bonum, in quo sit tota ratio boni, est bonum undequaque perfectum.

Ergo intentio voluntatis quietari nequit, nisi bonum attingat undequaque perfectum.

Existit ergo bonum undequaque perfectum, et hoc dicimus Deum.

b) A posteriori, ex eo quod nullum bonum terrenum, neque bonorum terrenorum complexus verificat characteres, quibus insigniri debet bonum, cuius possessio hominis beatitudinem constituit.

Argum. Bonum cuius possessio humanam beatitudinem constituit, his characteribus insigniri debet:

Tale sit, ut ratione sui appetatur; in cuiusvis potestate sit ipsum consequi; sit inamissibile.

Atqui nullum terrenum bonum, neque bonorum terrenorum complexus his characteribus insignitur.

Ergo nullum terrenum bonum, neque bonorum terrenorum complexus humanam beatitudinem constituit.

c) Confirmatur: Nullus unquam fuit beatus in hac vita, neque est, etsi bonis terrenis cumulatus sit, vel cumuletur; si qui sunt in mundo, qui veram animi quietem partecipent, ii sunt qui terrenalia bona despiciunt.

III. P. Probatur Deum esse ex ordinis moralis absoluta necessitate.

Argum. a) Unusquisque sentit se obligatum ad aliquas actiones ponendas, alias vero vitandas ; si illas ponit, has autem vitat, animi quietem experitur : si oppositum facit, tristitia afficitur. Iamvero huius facti ratio sufficiens aut est in ipso homine, aut ab alio repetenda est.

Atqui non 1um, optime enim conscimus, actiones aliquas esse ponendas, alias verò vitandas praeter imo contra cuiusvis hominis ordinationem.

Ergo alterum est tenendum.

b) Confirmatur auctoritate. Inter alios Cicero, in « De Republica. Lib. III, c. 17 ita ad rem nostram loquitur :

« Est quidem vera lex, recta ratio, naturae congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna ; quae vocet ad officium iubendo, vitando a fraude deterreat : quae tamen neque probos frustra iubet aut vetat, nec improbos iubendo, aut vitando movet. Huic legi nec abrogari fas est, neque derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari potest ; nec vero aut per senatum, aut per populum solvi hac lege possumus ; neque est quaerendus explanator aut interpres eius alius ; nec erit alia lex Romae, alia Athenis ; alia nunc, alia posthac : sed et omnes gentes, et omni tempore una lex, et sempiterna, et immutabilis contenebit ; unusque erit communis quasi magister et imperator omnium Deus, ille legis huius inventor, disceptator, lator ; cui qui non parebit, ipse se fugiet, ac naturam hominis aspernatus, hoc ipso luet maximas poenas, etiam si cetera supplicia, quae putantur, effugerit.

Solvuntur difficultates.

Contra 1am **P.**

1) Si consensus populorum moraliter universalis esset criterium veritatis, polytheismus verus dicendus esset.

D. Si alii characteres praeter universalitatem adessent C. si desunt N.

Explico : Etnologia universalis ostendit religionem primitivam fuisse monotheisticam, polytheismum autem ortum hahuisse tempore posteriori propter morum corruptionem ; desunt ergo pro veritate polytheismi aliqui saltem characteres, qui requiruntur, ut sententia aliqua universalis dicatur vera.

2) Consensus circa existentiam Dei universalitate destituitur.

D. Morali. N. mathematica. Tr.

3) Universalitas consensus repeti potest a legibus.

D. Apud omnes populos N. apud aliquem vel aliquos populos Sbd. quoad actus externos Tr, quoad intimam persuasionem N.

Explico : Apud omnes populos viget cultus in divinitatem aliquam, non solum publicus, sed etiam privatus, quod non haberetur, si propter solam legum ordinationem cultus exhiberetur. Praeterea religio aliqua vigebat etiam apud tribus, vel familias, quae non erant in societate civili constitutae.

4) Fides in Deum repeti potest ex fraudibus sacerdotum.

D. Apud omnes N. apud aliquos Sbd. doctos N. indoctos Tr.

Explico : Fraudes processu temporis deteguntur, neque influxum habent in viros doctos, dum religio in Deum, viget apud omnes etiam viros excultos, neque processu temporis infirmata est, sed potius consolidata.

5) Fides in ens supermundanum repeti potest ex ignorantia, metu, vel praeiudiciis.

R. N. Huiusmodi causae sunt particulares, non ergo influxum habere possunt semper, ubique et in omnes; dum religio in Deum est factum universale et constans, neque solum apud rudes viget, qui facile influxum patiuntur praeiudiciorum et similium causarum, sed etiam apud sapientes, imo veri sapientes sunt etiam viri religiosi.

(Cf. Farges : L'idée de Dieu. p. 221 et seqq).

Contra 2am P.

1) Homo appetitu innato a morte refugit.

D. Secundum partem sensitivam C- intellectivam N.

Explico : Natura humana, cum sit formaliter intellectiva, ad illud bonum naturaliter tendit, quae huic naturae, prout est intellectiva, respondet, quod certe non est vita corporis, qua morte privamur.

Timor mortis est nobis communis cum belluis, ideoque ex parte sensitiva se tenet, quae solum ad *hic* et *nunc* attendit. Hoc tamen non impedit quominus timor mortis, dicatur etiam rationalis quatenus ratione regatur; sed tunc non est innatus sed elictus; quod patet etiam ex eo quod plures libenter mortem obeunt, seu desiderio vivendi sese exuunt, quod non facerent si desiderium vivendi super terram esset innatum seu naturale; nullus enim natura sua sese exuere potest.

2) Homo naturaliter scire desiderat.

D. Naturaliter scire desiderat omnia et omni modo quo scibilia sunt N. quae faciunt ad suam plenam felicitatem et eo modo quo suae naturae est conveniens Sbd. et hoc desiderium non impletur in praesenti vita C. in altera N.

Explico : Difficultas, ut patet, non est contra nos, sed potius probat nostram thesim.

3) Intellectus humani capacitas nunquam expleri potest.

D. Capacitas remota. Tr. proxima, quae nempe non in sola

facultate nude inspecta consistit, sed in facultate prout est cum suis meritis constituta N.

Explico : Beatitudo perfecta est praemium vel merces, quae conceditur illis, qui virtutem vel ordinem moralem in praesenti vita custodiunt, uti fusius dicetur in Ethica, ideoque proportionata erit meritis uniuscuiusque ; quisque tamen in suo gradu plene contentus erit.

4) Plurimi homines solum contenti essent, si divitiis aliisque huius terrae bonis cumularentur.

D. Hoc faciunt appetitu innato N. appetitu elicito, eoque perverso C.

Explico : Omnes homines felicitatem in genere appetitu innato desiderant ; errant tamen, propter ignorantiam vel morum corruptionem, quoad felicitatem in specie, seu bonum in cuius possessione vera felicitas consistit.

Contra 3am **P.**

1) Ad agendam vitam honestam satis est cognoscere aliquam actionem esse conformem naturae rationali.

D. Haec tamen cognitio insufficiens esset ad obligationem inducendam C. non esset N.

Explico : De facto non solum cognoscimus actionem aliquam esse conformem naturae rationali, sed etiam illam esse ponendam. Ex eo autem quod aliquid sit conveniens, non sequitur ipsum esse ponendum.

2) Homo moveri potest ad agendum intuitu boni finiti, vel boni quod sit melius altero.

D. Quin tamen sentiat se obligatum ad opus illud praestandum C. sentiat N.

Explico : In thesi sermo non est de quavis motione, sed de motione ex obligatione morali provenienti.

3) Obligatio moralis cognosci nequit ut talis, nisi prius cognoscatur superior obligans.

D. Nisi cognoscatur confuse Tr. distincte N.

Explico : Ut quis videat se esse ligatum, non est necesse videre prius, et quidem distincte, quisnam eum ligaverit; videns enim se ligatum esse, confuse cognoscit aliquem eum ligasse.

4) Cum prima principia moralia, quae obligationem important, sint immediate nota quoad nos, sequitur etiam *Deum esse* esse immediate notum quoad nos.

D. Sequitur esse notum *per se* quoad nos formaliter et explicite N. materialiter et implicite C.

Schol. I. *a) Ostenditur argumenta allata in demonstratione existentiae Dei conficienda ad unum idemque ens supremum convergere.*

Argumentum 1um probat dari ens immobile, ens nempe quod sit suum agere.

Atqui quod est suum agere, est etiam suum esse; modus agendi enim sequitur modum essendi.

Ergo motor immobilis est suum esse.

Atqui qui est suum esse, est a se, non quidem causaliter, sed formaliter.

Ergo motor immobilis est a se, non quidem causaliter, sed formaliter,

Atqui quod est a se formaliter, est improductum et absolute necessarium.

Ergo motor immobilis est ens improductum et absolute necessarium.

Atqui quod est improductum et absolute necessarium, est ens cuius essentia est esse.

Ergo motor immobilis est ens cuius essentia est esse, ideoque quidquid est, est ipsum, seu est summe perfectum et summe ens; eius ergo est realisare quidquid quocumque modo participat vel participare potest rationem entis.

b) Argumenta allata probant Deum esse a mundo distinctum et personalem:

A mundo distinctum, repugnat enim mobile et immobile, productum et improductum, contingens et necessarium esse unum idemque.

Personalem, Deus enim, cum sit ratio sufficiens ordinis mundani et vitae intellectualis quae in mundo viget, naturae rationalis sit oportet; iam vero natura rationalis complete subsistens personam constituit.

Schol. II. *Quid sentiendum de Atheis.*

Athei sunt qui Deum ignorant vel negant. Dividuntur:

1) In practicos et theoreticos.

Practici sunt, qui vivunt, ac si Deus non esset. Huiusmodi dari posse factum ostendit; de facto enim existunt homines, et quidem plurimi, qui in suis operationibus de Deo nihil curant. Homo enim liber est in suis operationibus, ideoque, etiamsi cognoscat Deum esse et eius mandatis esse obediendum, potest tamen Deo terga vertere et oppositum facere.

2) Theoretici iterum dividuntur in negativos et positivos.

a) Negativi sunt qui nullam Dei notitiam habent, quamvis aetate sint provecta. Huiusmodi dari est impossibile, saltem per longum tempus; posita enim indole naturae humanae, quae est in rerum principia inquirere, et positis mediis,

quibus potest homo facillime ad notitiam Dei pervenire, impossibile videtur hominem, qui ad provectam aetatem iam pervenerit, hac notitia per longum tempus privari.

b) Positivi sunt qui iudicant Deum non esse. Subdividuntur in Scepticos et Dogmaticos.

1) *Sceptici* sunt qui Deum non esse iudicant, quia argumenta, quae solent afferri, de facto non probant. Huiusmodi dicuntur *critici*, si negant *dari* argumenta, quibus probetur Deum esse.

Dari atheos scepticos vel etiam criticos, saltem per breve tempus, non repugnat. Ex una parte enim Deum esse non est immediate notum quoad nos; ex altera parte potest quis, influxu voluntatis, vel ex praeiudiciis et passionibus intellectum habere obfuscatum, ideoque non clare intelligere valorem argumentorum, quibus probatur Deum esse, neque solutionem difficultatum, quibus argumenta urgentur.

Dogmatici sunt qui Deum esse negant rationibus innixi, quae Deum non esse probent. Dari huiusmodi atheos non videtur esse possibile, et si quis affirmat se esse huiusmodi, non est facile credendus. Sunt enim ex argumentis quaedam, quae tam clara luce fulgent, ut non possit quis, modo sincero animo sit, eorum efficaciam non videri. Neque ex alio capite ullum est argumentum vere solidum, quod Deum non esse probet: si est, adducant.

Schol. III. *De cognoscibilitate essentiae Dei.*

(Cf. Remer–Geny. Theol. Nat. p. 31 et seqq.).

1) Duplex error in hac parte vitandus: Agnosticismus et Anthropomorphismus.

Prior tenet nos nullo modo cognoscere posse quidditatem Dei ex creaturis; Deus ergo recte dici potest το *Incognoscibile*. Agnosticismus originem ducit ex Positivismo, cuius fundamentale dogma est, humanam cognitionem intra phaenomenorum fines concludi. Pater Positivismi habetur Comte; Agnoscitismi autem propugnator strenuissimus Spencer fuit.

Alter error e diametro opponitur priori; tenet enim perfectiones Dei eiusdem rationis esse, eodemque modo ei convenire ac creaturis. Huiusmodi erroris fautor est inter modernos Renouvier.

2) Nos mediam viam inter huiusmodi extrema sectantes, distinguimus inter cognitionem *quidditatis* Dei et cognitionem *quidditativam* Dei.

Cognitio *quidditatis* Dei est, quae exprimit quidem quid Deus sit in se, at non secundum speciem propriam, seu ex ipso Deo desumptam, sed secundum speciem alienam, seu se-

cundum ea, quae Deus habet communia cum creaturis, quae eius perfectiones, etsi imperfecte, certe aliquo modo manifestant.

Cognitio quidditativa Dei est quae Dei quidditatem exprimit secundum speciem propriam, seu ex ipso Deo desumptam: hanc esse nobis impossibilem per se patet, illam tantum esse nobis possibilem in aperto est. Cum autem perfectiones creaturarum non adaequate manifestent perfectiones Dei, consequitur, eas in Deo esse modo longe meliori, ideoque non univoce, sed analogice Deo et creaturis esse communes. Conceptus ergo nostri de Deo sunt quidem proprii, sed non ex propriis, ut aiunt, sed proprii ex alienis vel communibus, ideoque non metaphorici: Deus enim v. g. vere est sapiens, vere est bonus, sed eius sapientia et bonitas longe, imo infinito, melior est sapientia et bonitate creaturarum. Paucis, perfectiones creaturarum Deo attribuimus, non autem modum quo in eis sunt; modum quo in Deo sunt, cum sit nobis ignotus, verbis negativis exprimimus.

3) Cum creaturae considerari possint quoad perfectiones quas habent, imperfectiones quibus affectae sunt et limites quibus restringuntur, sequitur nos posse triplici via ad Deum ex creaturis ascendere : via affirmationis, qua affirmamus Deo perfectiones creaturarum; via negationis, qua removemus a Deo imperfectiones earundem; via eminentiae qua a perfectionibus divinis limites eliminamus, intelligentes perfectiones in Deo longe meliores esse quam in creaturis.

Hanc triplicem viam in re ipsa fundari nemo non videt. Cum enim Deus sit causa prima efficiens et exemplaris omnium perfectionum, quae in creaturis relucent, eas praehabere debet, « *nemo enim dat, quod non habet* » ; cum autem a se habeat, eas nullis limitibus adstrictas habet; cum denique sit immobilis, seu totus et solus actus, nullam imperfectionem in se includere debet.

CAP. II.

De quidditate Dei.

THESIS V.

Constitutivum Dsi metaphysicum videtur esse in eo reponendum, quod Deus dicatur: Ipsum Esse Subsistens.

St. Q. 1) Constitutivum metaphysicum alicuius entis intelligitur ratio, qua ens illud in aliquo determinato ordine constituitur, a ceteris distinguitur, quae non sunt eiusdem ordinis, et est radix ceterorum, quae illius entis sunt propria. Sic v. g. constitutivum metaphysicum hominis est rationalitas; haec enim est ratio, qua homo in sua specie constituitur, a ceteris distinguitur, quae non sunt eiusdem speciei, et est radix omnium quae sunt propria hominis.

Distinguitur constitutivum metaphysicum ab essentia metaphysica; haec enim notam complectitur tum genericam tum specificam, illud autem solum notam specificam exprimit.

2) Ad Deum quod spectat, notandum imprimis est, in eo nullam dari rationem quae sit natura prior ceteris, quae de eo praedicantur; in eo enim omnia sunt *realiter* et *virtualiter adaequate* idem, ut suo loco dicetur. Cum tamen ad Deum ascendamus per creaturas, atque de eo plures conceptus efformemus, inquirere licet, num aliquis detur conceptus rationem exprimens, quae iuxta nostrum concipiendi modum, intelligi possit ut radix ceterorum, seu ut constitutivum metaphysicum Dei.

3) Quaestio est disputata, ideoque variae dantur sententiae:

a) Una est Nominalium, qui reponunt essentiam Dei in infinitate extensiva, seu in cumulo omnium perfectionum.

b) Altera est eorum, qui ponunt essentiam Dei esse infinitatem intensivam, vi cuius, quidquid Deus possidet, fine caret.

c) Tertia est eorum, quibus essentia Dei metaphysica est infinitas radicalis, vi cuius Deus exigit habere omnes omnino perfectiones, et quidem gradu infinito. Haec et praecedens sententia apud Scotistas vigent.

d) Quarta sententia est Thomistarum, quorum alii reponunt essentiam Dei metaphysicam in *intellectivo radicaliter* sumpto, nempe in exigentia ut Deus habeat intellectum, qui omnia intelligendo attingat, eo ipso quod sint intelligibilia: alii essentiam Dei metaphysicam tenent *intellectivum in actu*

primo, seu facultatem intelligendi : alii *intellectivum in actu secundo*, vi cuius Deus est ens summe et actualissime intelligens.

e) Quinta sententia est eorum, quibus essentia Dei metaphysica est *aseitas*, qua nempe Deus constituitur *ens a se*. Haec sententia, quidquid de ea aliqui sentiunt, in nullo differt a sententia, quam thesis nostra enuntiat.

4) Duo igitur sunt demonstranda :

1° Deus est ipsum esse subsistens.

2° In hoc, quod sit ipsum esse subsistens, consistit eius essentia, vel constitutivum metaphysicum.

I. P. Prob. *(Ex eo quod Deus est absolute independens).* Ens cuius *esse* est absolute independens, est ipsum esse subsistens.

Atqui Deus est ens, cuius *esse* est absolute independens.

Ergo Deus est ipsum esse subsistens.

Maj. Intelligitur ex terminis.

Min. Ens, cuius *esse* neque a principio intrinseco, neque a principio extrinseco pendet, est absolute independens.

Atqui Deus est ens, cuius *esse* neque a principio intrinseco, neque a principio extrinseco pendet.

Ergo Deus est absolute independens.

Maj. per se intelligitur.

Min. a) Esse Dei non pendet a principio extrinseco, quia Deus non habet causam sui, sed est causa prima improducta, ut alibi demonstratum est.

b) Esse Dei non pendet a principio intrinseco, quia Deus est ratio sufficiens sui *esse* non *efficienter*, neque *ad modum resultantiae*, sed *formaliter*, seu *eius essentia est esse :* non *efficienter*, quia repugnat aliquid esse causam sui; non *ad modum resultantiae*, quia haec supponit *esse;* non potest enim aliquid resultare ex eo, quod non est.

Confirmatur ex testimonio S. Scripturae: Deus rogatus a Moise, quodnam esset eius nomen, respondit : « *Ego sum, qui sum. Sic dices filiis Israel : Qui est, misit me ad vos* ».

II. P. Prob. *(Ex ipsa notione constitutivi metaphysici).* Constitutivum metaphysicum alicuius entis, omnibus consentientibus, illa ratio tenenda est, qua posita, intelligitur ens illud in suo proprio ordine constitutum, quaeque distinguit ipsum a ceteris, quae non sunt eiusdem ordinis, et est radix ceterorum, quae ei sunt propria.

Atqui ad Deum quod spectat, ratio, qua posita, Deus, iuxta nostrum concipiendi modum, intelligitur constitutus in suo proprio ordine et quae distinguit ipsum a ceteris omni-

bus, quae sunt praeter ipsum, et est radix ceterorum, quae ei sunt propria, est, qua Deus concipitur *ipsum esse subsistens.*

Ergo in hoc, quod Deus sit *ipsum esse subsistens,* constitutivum eius metaphysicum consistit.

Maj. Est notio ab omnibus admissa.

Min. a) Hoc ipso quod Deus est, in suo proprio ordine, si ita loqui fas est, est determinate constitutus.

b) Cum nullum ens praeter Deum sit *ipsum esse subsistens,* per hoc Deus distinguitur a ceteris omnibus, quae sunt praeter ipsum.

c) Cetera omnia, quae Deo sunt propria, in tantum Deo conveniunt, et eo modo conveniunt, in quantum *Deus est, qui est,* seu *ipsum esse,* et ex hoc deduci potest *quasi a priori* Deum esse omniscium, infinite bonum, omnipotentem, et cetera omnia possidere, quae in ratione essendi continentur.

Cor. I. Ergo:

a) Constitutivum Dei metaphysicum non est *infinitas extensiva,* tum quia falso asseritur nullum ordinem posse in divinis perfectionibus stabiliri; tum quia sententia haec non distinguit inter essentiam Dei metaphysicam et physicam.

b) Neque *infinitas intensiva,* quia haec supponit perfectiones, quas afficit: prius enim logice est eas habere, deinde hoc vel alio modo vel mensura habere.

c) Neque *infinitas radicalis,* quia inquirendum manet, cur Deus exigat omnes perfectiones habere, easque meliori modo possibili.

d) Neque *intellectivum:* 1° quia non omnes perfectiones divinae, v. g. immensitas, aeternitas, ex eo *quasi a priori* deduci possunt; 2° quia *intellectivum* supponit obiectum formale, quo specificatur, quod in casu est ipsa divina essentia, ut suo loco demonstrabitur.

Cor. II. Ex dictis pariter deducitur Deum in nullo esse praedicamento, sed esse super omnia: 1° quia nihil univoce commune habet cum ceteris, quae participant rationem entis, et in decem praedicamenta distribuuntur; 2° quia quidquid perfectionis est in ceteris, *formaliter, eminenter* vel *virtualiter* ipse solus possidet, et quidem modo simplicissimo et infinito, ut ex infra dicendis melius constabit.

Solvuntur difficultates.

1) *Esse* est ratio omnibus communis.

D. Omnibus competit *posse* esse C. omnium essentia est *actu* esse N.

2) Si solius Dei essentia est esse, nulli alii competit *esse*.

D. Competit esse per essentiam C. per participationem Sbd. illius *esse*, quo Deus est C. producti a Deo N.

3) Plura sunt, v. g. vivere, intelligere, quae non sunt de ratione essendi.

D. De ratione essendi *ut sic* C. de ratione essendi, quod est ipsum esse subsistens N.

4) Si Dei essentia est esse, cognito Deum esse, totus Deus cognoscitur.

D. Si Deum esse abstractive cognoscitur N. si intuitive Sbd. Deus cognosceretur totus, sed non totaliter C. totus et totaliter N.

5) *Esse*, cui nihil superadditur, est esse commune.

D. Cui nihil superaddi potest, quia formaliter transcendit omnia C. cui nihil superaddi potest, quia transcendit omnia *realiter*, nempe quidquid perfectionis est, possidet, et quidem modo simplicissimo et infinito N.

6) *Esse* non est gradus ultimus perfectionis.

D. Esse participatum C. Esse imparticipatum, nempe ipsum esse subsistens N.

7) Intellectivum est maxima perfectio.

D. In creaturis, in quibus essentia non est esse C. in Deo, cuius essentia est esse N.

8) Intellectio est veluti nota generica, in quo Deus convenit cum creaturis, quae ei proxime accedunt.

D. Quae nota est de ratione ipsius esse subsistentis C. non est N.

9) Deus primo intelligitur esse *Ens*, quo maius nihil cogitari potest.

D. Haec est notio vulgaris C. philosophica Sbd. exprimens essentiam physicam C. metaphysicam N.

10) Ex tradita doctrina posset etiam homo definiri : *Ens rationale.*

a) N. quia *Ens* non est notio generica.

b) D. Sumpto *Ens* physice Tr. sumpto metaphysice Sbd. si ratio entis *ut sic* actu et distincte contineret cetera, quae ad essentiam hominis pertinent Tr. secus N.

11) In Deo intelligere est esse.

D. Realiter C. formaliter Sbd. implicite C. Explicite N.

THESIS VI.

Deus est absolute pertectus et simpliciter infinitus.

St. Q. 1) Perfectum iuxta vim vocis idem significat ac totaliter factum; sed per quamdam vocis extensionem *perfectum* dicitur, cui nihil deest perfectionis, quae ab eius natura exigitur, quamvis hoc sit absque ulla factione, et hoc sensu Deus dicitur perfectus.

2) Perfectum insuper aliquid dici potest vel relative, vel absolute.

a) Relative perfectum est, cui nihil perfectionis deest in aliqua linea entis; sic v. g. *homo* est relative perfectus, si, qua homo est, integram perfectionem possidet, quae eius naturae competit.

b) Absolute perfectum est ens, cui nihil perfectionis deest in omni linea entis, et hoc modo perfectum dicimus Deum.

3) Perfectio est quaevis ratio vel realitas, quae bona est habenti. Triplex distingui solet: simplex, simpliciter simplex, mixta.

a) Simplex perfectio dicitur, quae in suo conceptu nullam imperfectionem importat, v. g. *Esse, vivere, intelligere.*

b) Simpliciter simplex perfectio dicitur, quae in suo conceptu omnem imperfectionem excludit; v. g. *Esse, vivere, intelligere* in Deo.

c) Perfectio mixta dicitur, quae in suo conceptu imperfectionem importat; v. g. *esse corpus, sentire, ratiocinari.*

4) Item notandum est, perfectionem aliquam in aliquo ente inveniri posse quadruplici modo: formaliter, eminenter, formaliter simul et eminenter, et virtualiter.

a) Formaliter perfectio est in aliquo ente, cum inest ei illa eadem forma vel realitas, quae concipitur et exprimitur nomine ipsius; sic v. g. rationalitas est in homine.

b) Eminenter est aliqua perfectio in aliquo ente, cum non inest ei secundum propriam rationem, sed secundum aliam rationem longe illa meliorem; sic v. g. rationalitas est in spiritu puro, qui non ratiocinatur, sed intelligit, seu intuitive et immediate cognoscit, quaecumque cognoscit.

c) Formaliter simul et eminenter perfectio aliqua est in aliquo ente, cum inest ei secundum propriam rationem, seclusis tamen omnibus affectionibus, quae ei accidunt ratione subiecti: hoc modo omnes perfectiones simplices sunt in Deo.

d) Virtualiter tandem in subiecto est aliqua perfectio,

cum inest ei, non perfectio ipsa, sed virtus eam producendi: hoc modo v. g. perfectio operis est in artifice.

5) Cum Deus ratio sufficiens sit omnium perfectionum, quae sunt, vel esse possunt in creaturis, eas omnes in eo aliquo modo esse, apertum est: « *Nemo enim dat, quod non habet* »; eas autem non posse omnes in Deo formaliter inveniri, ex thesi demonstranda evidenter deducitur.

6) In altera thesis parte affirmatur Deus simpliciter infinitus. *Infinitum* idem valet ac *non finitum*. Finitum autem aliquid dici potest dupliciter: vel quia determinatum in suo esse, vel quia limitatum in sua perfectione vel entitate. *Infinitum* ergo potest pariter duplici sensu accipi: vel *pro indeterminato*, vel *pro non circumscripto seu limitato* in sua perfectione vel entitate. Hoc altero sensu in thesi assumitur, et iterum distinguitur in infinitum secundum quid et simpliciter, prout limites excludit in aliqua perfectione tantum, vel in omnibus omnino.

7) Ad solvendas difficultates, quae contra thesim ex hac parte urgeri possunt, notandum est, *limitem* non esse meram negationem, sed negationem ulterioris perfectionis ad modum privationis intellectam: est concrete ipsa perfectio vel realitas in quantum ulterius non protenditur.

Limes formaliter differt a *determinatione*, ideoque limitatum a determinato: omne enim limitatum est determinatum, sed non viceversa. *Determinatio* enim est ratio positiva, vel perfectio, qua aliquid in suo ordine constituitur, et a ceteris discernitur, quae non sunt eiusdem ordinis, praecisione facta ab eo quod sit limitata vel non; dum *limes*, etsi non sit pura negatio, negationem tamen formaliter includit.

8) Infinitum, prout in thesi intelligitur, differt:

a) Ab indeterminato, hoc enim indifferentiam dicit ad esse vel non esse; dum infinitum *necessario* est.

b) Ab indefinito, quod etiam infinitum potentiale dicitur, vel syncategorematicum; quia hoc est semper actu finitum vel limitatum, cui tamen semper aliquid addi potest; dum infinitum perfectionem habet vel entitatem actu infinitam seu nullis limitibus conclusam, ideoque etiam infinitum actuale vel categorematicum audit.

c) A toto, quia *totum* dicit compositionem in suo conceptu, ideoque limitationem.

d) Ab absolute perfecto, quia *absolute perfectum* dicit *formaliter* omnes omnino perfectiones habens; *infinitum* autem *formaliter* dicit exclusionem limitum in perfectionibus.

9) Thesis in duas partes dividitur:

1ª Deus est ens absolute perfectum.
2ª Deus est simpliciter infinitus.

I. P. Prob. *a) (Ex eo quod Deus est ipsum esse subsistens).*
Ens, quod est ipsum esse subsistens, est absolute perfectum.
Atqui Deus est tale ens, ut superius probatum est.
Ergo Deus est absolute perfectus.
Maj. Absolute perfectum est ens, quod omnes omnino perfectiones habet.
Atqui ens, quod est ipsum esse subsistens, omnes omnino perfectiones habet.
Ergo ens, quod est ipsum esse subsistens, est absolute perfectum.
Min. Ipsum esse subsistens comprehendit omnia, quae sunt vel esse possunt; *esse* enim non ad unum vel alterum perfectionis genus restringitur, sed omnia omnino amplectitur.

b) (Ex eo quod Deus est ratio sufficiens omnium perfectionum, actualium et possibilium).
Ens, quod est ratio sufficiens omnium perfectionum actualium et possibilium, est absolute perfectum.
Atqui Deus est tale ens.
Ergo Deus est absolute perfectus.
Maj. Non esset ratio sufficiens omnium perfectionum, si eas non possideret, formaliter, eminenter, vel virtualiter.
Min. Deus est causa prima omnium, quae sunt vel esse possunt praeter Deum.

c) (Ex eo quod Deus est solus et purus actus).
Ens, quod est solus et purus actus, est absolute perfectum.
Atqui Deus est tale ens; est enim *immobilis.*
Ergo Deus est absolute perfectus.
Maj. Purus et solus actus perfici nequit sub nullo respectu, secus potentialitatem haberet, ideoque est sub omni respectu perfectus.

II. P.Prob. *a) (Ex eo quod Deus est ipsum esse subsistens).*
Ipsum esse subsistens est simpliciter infinitum.
Atqui Deus est ipsum esse subsistens, ut supra probatum est.
Ergo Deus est simpliciter infinitus.
Maj. Ipsum esse subsistens aut a principio extrinseco limitaretur, aut ab intrinseco.
Atqui non 1um, quia ipsum esse subsistens non est ab alio;

non 2um, quia ipsum esse subsistens est *formaliter* suum esse, non *efficienter*, neque *per modum resultantiae.*

Ergo ipsum esse subsistens a nullo habet, ut sit limitatum, ideoque est actu et simpliciter infinitum.

b) (Ex eo quod essentia Dei est esse).

Nota. Hoc argumentum revera non differt a praecedenti, sed est aliis verbis propositum.

Arg. Ens cuius essentia est esse, est simpliciter infinitum.

Atqui Deus est ens, cuius essentia est esse.

Ergo Deus est simpliciter infinitus.

Maj. Aut enim limitaretur per ipsum esse, vel per ipsam essentiam.

Atqui non 1um, quia *esse* non dicit limitationem, seu non *esse.*

Non 2um, quia in casu *esse* non esset *formaliter* ipsa assentia.

Min. Constat ex iam demonstratis: Deus est *formaliter* a se.

c) (Ex eo quod Deus est summe ens).

Ens summum in ipsa ratione entis est simpliciter infinitum.

Atqui Deus est summum in ipsa ratione entis.

Ergo Deus est ens simpliciter infinitus.

Maj. Nisi esset simpliciter infinitum, posset aliquid cogitari melius, ideoque non esset summum.

Min. Constat ex argumento henologico.

Solvuntur difficultates.

Contra 1am P.

1) Prima principia sunt imperfecta.

D. Relative prima C. absolute prima Sbd. intrinseca Tr. extrinseca N.

2) Perfectum dicitur quasi totaliter factum.

D. Secundum vocis originem C. secundum vocis extensionem N.

3) Ens, quo simplicius, eo imperfectius.

D. Si est simplicius per modum partis C. si per modum totius N.

4) Si in Deo est, quidquid perfectionis in creaturis reperitur, verus est pantheismus.

D. Si omnes perfectiones essent in Deo formaliter C. si aliae formaliter, aliae eminenter, vel virtualiter N.

5) Essentia Dei est esse, ideoque plura quae non sunt de ratione essendi, non sunt in Deo.

D. Est *esse* commune vel abstractum N. est *esse* subsistens C.

6) In Deo potuissent non esse v. g. decretum creandi, vel praescientia lapsus Adami.

D. Potuissent non esse *terminative* C. *entitative* N.

7) Deus a pluribus hominibus privatur gloria debita.

D. Gloria debita intrinseca N. extrinseca Sbd. obiectiva N. formali Tr.

8) Plures perfectiones excluduntur ab invicem.

D. Simplices N. mixtae Sbd. ideoque in Deo non sunt formaliter C. virtualiter vel eminenter N.

Contra 2am **P.**

1) infinitum est, quod omnia complectitur.

D. Formaliter, vel virtualiter, vel eminenter C. formaliter tantum Sbd. quae nullam imperfectionem in suo conceptu important C. quae important N.

2) Deus et mundus sunt quid majus, quam Deus solus.

D. Maius extensive C. intensive N.

3) Quod ita est *haec* sustantia, ut non sit alia, est finitum secundum substantiam.

D. Si *haec* non est a se, neque continet perfectiones aliarum formaliter, vel virtualiter, vel eminenter C. secus N.

4) Quod est unum, est finitum numero.

D. Quod est unum unitate praedicamentali C. transcendentali Sbd. si est a se N. si ab alio C.

5) Quod est subiectum negationum, est finitum.

D. Si per negationes removentur perfectiones C. si imperfectiones N.

6) Quod est distinctum ab alio, est finitum.

D. Quod distinguitur ut differens C. ut diversum Sbd. si est *Ipsum Esse* subsistens N. secus C.

Explico. Differt ab alio, quod cum eo in aliquo convenit, ideoque est necessario limitatum. Est *diversum* ab alio, quod cum eo in nullo convenit, saltem *univoce*. Neque *limitatum* et *determinatum* dicunt idem, ut explicatum est in statu quaestionis.

7) Quod commensuratur sibi, est finitum sibi.

D. Est *finitum*, hoc est, est sibi proportionatum C. limitatum Sbd. si commensurans et commensuratum sunt utrumque limitatum C. secus N.

8) Quod est causa finiti, est finitum.

D. Quod est causa materialis C. causa efficiens Sbd. si causat necessario C. si libere Iter. D. si causando perficitur C. si ovam terminationem acquirit Iter. Sbd. si quod producitur est

finitum in quantum participat de perfectione primi principii C. si est finitum in quantum recedit a perfectione primi principii N.

9) Si Deus esset infinitus, creaturae omnes essent aequales, quia omnes eodem modo distarent a Deo, nempe *infinite.*

D. Omnes essent aequales *respective*, in quantum nempe omnes respicerent Deum infinitum C. essent aequales *absolute* Sbd. si distantia constitueretur infinita per realitatem sibi intrinsecam C. si ab uno termino tantum, entitative infinito, quem cetera respiciunt N.

THESIS VII.

Deus est simplicissimus et unicus.

St. Q. 1) Simplex dicitur, quod est compositionis expers : simplicissimum autem, quod est omnis compositionis expers.

Compositio est associatio vel unio plurium, quae sunt inter se diversa vel distincta : tot ergo dantur modi compositionis, quot dantur distinctionis modi. Est ergo compositio alia realis, alia rationis.

a) Compositio realis est quae resultat ex partibus realiter inter se distinctis, seu quarum, indipendenter a mentis consideratione, una non est alia. Subdividitur in essentialem, integralem, accidentalem.

Essentialis resultat ex partibus,quae rei essentiam constituunt, ideoque, una vel altera sublata, tota essentia perit: talis est v. g. compositio ex anima et corpore in homine.

Integralis resultat ex partibus, quae ad rei integritatem requiruntur, ideoque si una vel altera perit, essentia non perit: talis est v. g. compositio, quae resultat ex variis partibus organismi.

Acoidentalis resultat ex subiecto et accidentibus, vel ex pluribus accidentibus in eodem subiecto, vel ex pluribus subiectis vinculo accidentali unitis.

b) Compositio rationis est, quae ex partibus resultat ratione distinctis: talis est v. g. quae resultat ex *animalitate* et *rationalitate* in homine.

Compositio rationis alia est mere logica, alia non mere logica.

Mere logica est quae resultat partibus ratione distinctis absque fundamento in re, cuiusmodi est v. g. compositio resultans ex definitione et definito ; ex implicito et explicito etc.

Non mere logica est quae resultat partibus ratione distinctis cum fundamento in re. Dicitur etiam virtualis, et est adaequata vel inadaequata.

Adaequata vel *metaphysica* est, cuius partes ratione distinguuntur cum perfecto fundamento in re. Talis est quae viget inter animalitatem et rationalitatem in homine; inter diversos gradus metaphysicos eiusdem rei ; inter genus et differentiam; inter naturam et personam.

Inadaequata est, cuius partes ratione distinguuntur cum imperfecto fundamento in re ; talis est quae resultat ex perfectionibus, quae *formaliter implicite* sunt idem, *formaliter explicite* sunt diversae, ut sunt perfectiones divinae.

Cum dicimus Deum esse simplicissimum, ab eo removemus omnem compositionem realem et omnem compositionem metaphysicam seu virtualem adaequatam, non autem virtualem inadaequatam, quae nullam in Deo ponit imperfectionem ; tota imperfectio enim est ex parte cognoscentis, cuius activitas cogitans, cum sit valde restricta, non potest unico conceptu divinam perfectionem exprimere.

2) In altera parte thesis affirmamus Deum esse unicum.

Unicum non idem formaliter dicit ac unum. *Unum* enim ens dicitur indivisum in se et divisum ab omni alio ; *unicum* autem est ens, cuius nullum est vel esse potest simile in natura. Cum Deum probaverimus esse simplicissimum , seu maxime indivisum et maxime indivisibile. consequenter probatum manebit, eum esse maxime unum et maxime a ceteris distinctum, quae sunt vel esse possunt praeter ipsum. Solum ergo probandum erit eum esse unicum.

3) Thesi adversantur:

a) Pantheistae cuiuscumque denominationis , qui tenent Deum esse rerum universalitatem, nempe unum et omnia.

b) Veteres Manichaei, qui duplex admittebant principium supremum, unum ex quo omnia bona, alterum ex quo omnia mala derivarent.

c) Polytheistae, qui plures admittunt deos, ut etiam nunc tribus idololatrae.

d) Tritheistae, qui Mysterium SS^mae^ Trinitatis perverse intelligentes, numerum ponunt in ipsa divina essentia.

e) Scotistae, qui distinctionem admittunt formalem ex natura rei inter naturam et attributa divina, et inter attributa inter se ; consequenter admittere debent in Deo compositionem maiorem quam metaphysicam vel virtualem adaequatam.

f) Nominales, qui inter divinam essentiam et attributa, et inter attributa inter se, admittunt distinctionem mere logicam, seu rationis absque fundamento in re.

4) Thesis habet duas partes :

1^a^ De semplicitate Dei.

2^a^ De unicitate Dei.

I. P. Prob. *a*) (*Ex notione entis simplicissimi*).

Quod omnis compositionis, sive physicae sive metaphysicae, est expers, est ens simplicissimum.

Atqui Deus est omnis compositionis, sive physicae sive metaphysicae, expers.

Ergo Deus est ens simplicissimum.

Maj. Intelligitur per se.

Min. 1ª p.

Compositio physica triplex distinguitur : essentialis, integralis, accidentalis.

Atqui in Deo nulla ex his compositionibus est.

Ergo Deus est omnis compositionis physicae expers.

Min. h. a. In Deo non est compositio essentialis, quia solius corporis essentia est composita : Deus non est corpus, cum sit ens, quo maius cogitari nequeat.

In Deo non est compositio integralis, quia partes integrales, sive entitativae sive quantitativae, sunt substantiae corporae.

In Deo non est compositio accidentalis, quia, cum Deus sit solus actus, in eo nulla est potentialitas, quae accidentali perfectione actuetur.

Min. 2ª p.

Compositio metaphysica est, quae resultat ex essentia et esse, vel ex natura et supposito, vel ex genere et differentia.

Atqui in Deo nulla ex his compositionibus datur.

Ergo Deus est omnis compositionis metaphysicae expers.

Min. h. a. In Deo non est compositio ex essentia et esse, quia in Deo *essentia* est realiter et formaliter *esse*.

Non est compositio ex natura et supposito, quia natura Dei vel essentia est *ipsum esse subsistens*, seu *ipsum subsistere*.

Non est compositio ex genere et differentia, quia nihil est *univoce* commune Deo et ceteris entibus praeter Deum.

b) (Ex eo quod Deus est ens absolute primum).

Ens absolute primum est simplicissimum.

Atqui Deus est ens absolute primum.

Ergo Deus est ens simplicissimum.

Maj. Ens compositum saltem *natura* est posterius componentibus, ideoque non absolute primum.

Min. Ex demonstratis in thesibus de existentia Dei.

c) *(Ex eo quod Deus est totus et solus actus).*

Quod est totus et solus actus, est simplicissimum.

Atqui Deus est totus et solus actus.

Ergo Deus est ens simplicissimum.

Maj. Componentia enim vel partes, quibus ens aliquod re-

sultat, ad invicem sese complent et perficiunt, ideoque se habent inter sese ut potentia et actus; ac proinde quod est compositum, nequit esse totus et solus actus.

Min. Deus est ipsum *esse*, quod est totus et solus actus.

II. P. Prob. *a) (Ex infinitate Dei).*

Ens actu infinitum est unicum.

Atqui Deus est ens actu infinitum.

Ergo Deus est unicus.

Maj. Plura entia actu infinita in aliquo distinguerentur, seu singula aliquid haberent, quod in ceteris deesset, ideoque nullum esset infitum.

Min. Ex alibi demonstratis patet.

b) (Ex necessitate Dei).

Ens absolute necessarium est unicum.

Atqui Deus est ens absolute necessarium.

Ergo Deus est unicus.

Maj. Plura entia absolute necessaria in aliquo distinguerentur, quod esset:

Vel ipsa absoluta necessitas,

Vel aliquid ex ea dimanans,

Vel aliquid ab extrinseco adiacens.

Atqui non 1um, quia absoluta necessitas idem formaliter dicit.

Non 2um, quia ex eadem forma idem formalis effectus resultat.

Non 3um, quia ens absolute necessarium a se habet, quidquid habet.

Ergo plura entia absolute necessaria non dantur.

c) (Ex sufficientia unius Dei).

Deus aut est sufficiens, aut non est.

Si 1um, ergo non datur alius praeter unum Deum.

Si 2um, Deus non est Deus.

Solvuntur difficultates.

Contra 1am P.

1) Quod habet praedicata superiora et inferiora, est compositum.

D. Si habet in ordine reali C. si in ordine logico Sbd. si praedicata superiora sunt univoca, ideoque contrahuntur per proprie dictas differentias C. secus N.

2) A natura simplicissima nequit procedere multitudo.

D. Si est limitata et agit necessario C. si est infinita et agit libere N.

3) *Esse* quod nequit vere componi cum proprie dictis differentiis, est *esse* commune.

D. Quod nequit componi, quia omnia *formaliter* transcendit C. quod nequit componi, quia omnia in sua simplicissima entitate, *formaliter*, vel *eminenter*, vel *virtualiter* continet N.

4) Qno perfectius est ens aliquod, eo magis est compositum.

D. Eo pluribus perfectionibus aequivalet, et eo perfectior est unitas, qua gaudet C. eo magis sunt perfectiones inter se distinctae N.

5) In Deo non idem est natura et suppositum.

D. Distinguuntur realiter N. virtualiter Sbd. adaequate N. inadaequate C.

6) Natura quae in pluribus subsistit, compositionem metaphysicam facit cum subsistentia.

D. Si in pluribus subsistit numerice multiplicata C. si individua subsistit in pluribus N.

7) In Deo proprietates personales sunt realiter distinctae.

D. inter se C. a natura N.

8) In Deo sunt relationes reales inter ipsum et mundum.

D Reales ex parte Dei N. ex parte mundi C.

9) Mensura omnium substantiarum est in genere substantiae.

D. Mensura homogenea et in ordine causae formalis C. mensura heterogenea et in ordine causae efficientis vel exemplaris Sbd. est in genere substantiae quodammodo *reductive* Tr. *directe* vel proprie *reductive* N.

Decl. Deus dicitur mensura omnium rerum in quantum omnes *tales* sunt, quia a Deo tale esse acceperunt, et quia conformes sunt ideis archetypis divinis.

10) Simplex est imperfectum.

D. Si est simplex per modum partis C. si per modum totius Sbd. si perfectionem habet participatam C. si imparticipatam N.

Contra 2am **P.**

1) Opinio satis diffusa tenebat, et etiam adhuc tenet, plures existere Deos.

D. Satis diffusa, attamen ceteris characteribus destituta, qui requiruntur, ut sententia aliqua dicatur revera sensus communis C. ceteris characteribus insignita N.

Decl. Primordialis religio fuit monotheista; polytheismus ex morum corruptione maxime ortum habuit. Ceterum etiam

apud polytheistas persuasio vigebat, non omnes deos aequales esse, sed unum ceteris praeesse.

2) Omnis natura de se est communicabilis.

D. Sed non omnis est numerice multiplicabilis C. est Sbd. finita C. infinita N.

3) Malum a principio essentialiter bomo oriri non potest.

D. Malum culpae C. poenae Sbd. per se C. per accidens N.

4) Si unum ex contrariis infinitum existat, alterum totaliter escludatur oportet.

D. Excludatur ex ipso infinito existente C. ex effectibus N.

Decl. Effectus, cum sint essentialiter finiti, deficere possunt.

8) Principium bonum mala omnia non excludit, vel quia non potest, vel quia non vult.

Si 1um, est impotens.

Si 2um, est malevolum.

Neutrum dici potest de Deo.

C. *Maj.* Eligo 2um, quod ita distinguo : Esset malevolum vel invidum, si mala cederent in bonum intrinsecum ipsius, vel si mala per se intenderet, neque posset ex malis facere bona C. secus N.

Decl. Mala moralia nullo modo a Deo intenduntur, sed permittuntur ; neque sunt ei tribuenda, cum eorum causa sit libera hominis voluntas. Mala physica a Deo intenduntur, non *per se*, sed *per accidens*, seu ratione boni inde sequentis. Plurima sunt bona, quae ex malis sequuntur, quae non sequerentur, si omnia mala impedirentur. Haec pulcherrime exponit *S. Thomas* in pluribus locis, maxime in Summa contra Gentes – L. III–c. 71.

6) Malum quandoque procedit ex vitiata causa.

D. Cuius vitii causa est bonum C. malum N.

Decl. Malum, cum oriatur ex eo, quod ens aliquod impediatur in prosecutione sui boni, nequit habere causam efficientem nisi ens, seu bonum. Cum autem sit privatio boni, nequit esse nisi in subiecto, seu in bono, ideoque causa mali est bonum, et subiectum mali est bonum.

7) Magis et minus dicuntur per respectum ad summum.

D. Magis et minus in bono C. in malo Sbd. dicuntur per respectum ad summum, a quo recedunt C. ad quod accedunt N.

8) Si exposita doctrina valorem habet, etiam malum culpae in Deum est ultimo refundendum.

D. In Deum ut permittentem C. ut concurrentem Sbd. ipsa moralis deformitas actionis est in Deum refundenda N. ipsa actio, qua actio C.

9) Libertas, qua homo peccat a Deo est.

D. Homo peccat, praecise quia liber est N. quia libertate abutitur C.

Decl. De ratione libertatis non est *posse deficere* a regula morum, sed posse sese determinare ad agendum, seu in proprios actus dominium habere vel esse dominum sui.

10) Oppositorum eadem est ratio.

Atqui bonum est a bono.

Ergo malum a malo.

D. *Maj.* Quoad cognitionem vel scientiam, in quantum nempe eiusdem scientiae est de eis agere C. quoad cetera N.

11) Effectus praesefert similitudinem causae.

D. Causae *per se* Tr. per accidens N.

Schol. *Quomodo distinguantur inter se divina attributa, et a divina essentia.*

R. 1) Nulla dictinctio admittenda ante operationem intellectus.

Prob. Omnis distinctio, quae ab intellectu non pendet, est realis.

Atqui in Deo nulla est distinctio realis.

Ergo in Deo nulla est distinctio ante operationem intellectus.

Maj. Non datur medium inter ordinem realem et idealem; reale ergo est quidquid esse habet, vel habere potest, praeter mentis operationem.

Min. a) Quae realiter distinguuntur, faciunt compositionem realem, quam nullam in Deo esse in thesi probatum est.

b) Essentia divina, sicut et singula attributa, quae in Deo ponunt perfectionem absolutam, sunt simpliciter infinita, seu in omni linea entis, ideoque divina essentia et attributa, et attributa inter se, faciunt maximam unitatem et simplicitatem, sunt enim realiter et formaliter implicite una eademque realitas et perfectio.

Cor. *a)* Ergo divina attributa non distinguuntur a divina essentia et inter se distinctione formali ex natura rei, ut Scotistae tenent, haec enim ponit pluralitatem in Deo ideoque compositionem.

b) Neque distinctione virtuali intrinseca, quae est capacitas in ente suscipiendi praedicata contradictoria indipendenter a mentis operatione, propter eandem rationem nuper adductam: quae enim suscipiunt praedicata contradictoria ante mentis operationem, realiter distinguuntur, ideoque compositionem realem faciunt.

R. 2) Attributa divina distinguuntur a divina essentia et inter se distinctione, quae non est pure mentalis.

Prob. Quae *formaliter explicite* non sunt idem, distinguuntur distinctione, non pure mentali.

Atqui essentia divina et divina attributa *formaliter explicite* non sunt idem.

Ergo divina essentia et divina attributa, atque divina attributa inter se, distinguuntur distinctione non pure mentali.

Maj. Distinctio pure mentalis est quae nullum fundamentum, neque imperfectum, habet in re; non pure mentalis est quae aliquod fundamentum, saltem imperfectum, habet in re. Fundamentum esse potest, vel praeeminentia obiecti, cuius perfectio, quamvis simplicissima, plures, imo omnes perfectiones aequivalenter continet; vel limitatio subiecti cogitantis, quod unico actu non potest obiecti cognoscibilitatem exhaurire.

Min. Essentia Dei, seu *divinitas*, formaliter explicite est ratio qua Deus est Deus; *Sapientia Dei* formaliter explicite est actus, quo Deus omnia cognoscit, comprehendit et ad suos fines ordinat; *Bonitas* Dei formaliter explicite est Dei perfectio summa, qua Deus est sibi sufficientissimus et beatissimus etc.; qui conceptus non omnino idem exprimunt.

Cor. Ergo falsi sunt Nominales, qui omnem distinctionem negant, etiam mentalem cum imperfecto fundamento in re, quae, ut patet, nullam in Deo imperfectionem ponit.

THESIS VIII.

Deus est immutabilis, immensus, aeternus.

St. Q. 1) In hac thesi tribuimus Deo: Primo immutabilitatem, quae est negatio mutationis.

Mutatio generatim est transitus de potentia ad actum. Est:

a) Propria et impropria.

Impropria est transitus de potentia obiectiva ad actum entitativum.

Propria est transitus de potentia subiectiva ad actum formalem, sive substantialem, sive accidentalem.

b) Physica et moralis.

Physica habetur, cum ens, quod mutari dicitur, novam realitatem acquirit, ut cum quis de ignorante fit doctus.

Moralis habetur, cum ens, quod mutari dicitur, est ratione praeditum, et novum elicit actum voluntatis. Patet mutationem moralem esse etiam physicam, quia novus actus voluntatis est nova realitas.

c) Interna et externa.

Interna habetur, cum ipsum subiectum, quod mutari dicitur, transit de potentia in actum, aliquid de novo acquirendo, vel amittendo.

Externa habetur, cum subiectum, quod mutari dicitur, revera non mutatur, sed novam denominationem realem acquirit ex mutatione reali in alio facta, ut cum quis dicitur esse ad dexteram, vel ad sinistram alicuius, ex loco quem hic occupat.

Mutatio externa nullam in suo conceptu importat imperfectionem in ente, quod dicitur extrinsece mutari, ideoque de ea thesis non loquitur.

Mutatio fieri potest etiam regressive, seu transeundo de esse ad non esse, et easdem habet divisiones, ut per se liquet.

A Deo igitur removemus omnem mutationem internam, sive propriam, sive impropriam; sive physicam, sive moralem.

2) Secundo tribuimus Deo immensitatem, quae est negatio limitis quoad praesentiam localem, et ita describi potest: Attributum quo Deus praesentiam suam omnibus rebus locisque omnibus actu existentibus exhibet, quin tamen ullo loco circumscribatur vel definiatur, ita ut si cetera, sive res sive loca, ex possibilibus evaderent actualia, Deus illico et absque ulla sui mutatione interna esset illis intime praesens.

Distinguitur ergo immensitas ab ubiquitate vel omnipraesentia; haec enim est quodammodo relativa et temporanea, cum Deo conveniat respectu habito ad res vel loca actu existentia; dum illa est absoluta et aeterna, et Deo conveniret etiam si nullae res vel loca existerent praeter Deum.

Supervacaneum est advertere, modum essendi in loco, qui solius Dei est proprius, et vocibus *repletive* vel *interminate* designari solet, longe eminentiorem esse ceteris modis, qui sunt connaturales entibus finitis, sive corporeis sive incorporeis, et vocibus *circumscriptive* vel *definitive* designantur.

3) Cum aliquod ens suam praesentiam alicui loco triplici modo exhibere possit, per simplicem praesentiam, per potentiam, per essentiam, hunc triplicem modum Deo quoque attribuimus:

Per praesentiam Deus est ubique, in quantum omnia, quae in omnibus locis sunt vel fiunt, sunt ei nuda et aperta. *Per potentiam* est Deus praesens ubique, in quantum in omnibus locis suam potentiam manifestat, res conservando, gubernando, atque in omnibus earum actionibus et effectibus cum eis cooperando. *Per essentiam* Deus est ubique praesens, in quantum sua propria entitate omnia loca replet, quin tamen in nullo contineatur, sed potius omnia contineat.

4) Tertio attribuimus Deo aeternitatem, quae limites negat et successionem in durationе divini esse, et a Boethio describitur : *Interminabilis vitae tota simul et perfecta possessio.*

Dicitur : *Interminabilis,* ad significandum durationem aeternam non habere terminum, neque a parte ante, neque a parte post.

Vitae, ad significandam naturam divini *esse* vel *durare,* quod est *vivere* vitam perfectissimam.

Tota simul, ad significandam durationem aeternam non habere successionem. Hoc est elementum formale aeternitatis, dum carentia initii et finis est elementum materiale.

Perfecta possessio, ad significandum durationem aeternam esse imperturbatam et imperturbabilem.

In aeternitate igitur nullum est transactum vel futurum, sed solum praesens, seu *nunc* permanens atque interminabile, et in hoc distinguitur duratio sempiterna a durationе aeviterna et temporanea. Aeviterna enim est duratio entis, immutabilis quidem quoad essentiam, sed mutabilis quoad accidentia, ut est duratio spiritus finiti, cuius essentia non est esse, attamen a Deo accepit naturam incorruptibilem. Temporanea est duratio entis essentialiter successivi seu mutabilis, et quoad essentiam et quoad accidentia, ut sunt motus et ipsa corpora, quae omnis generis mutationibus sunt obnoxia. Huius durationis nihil unquam actu est, praeter praesens vel *nunc* fluens, quod *formaliter* est instans indivisibile continuans transactum cum futuro, *subiective* autem vel *materialiter* est ipsum mobile prout in diversis temporis differentiis successive deprehenditur.

5) Thesi adversantur :

a) Quoad 1am partem, monistae, qui omnia in unum redigentes, Universum explicant per evolutionem unius principii primordialis ipsi mundo immanentis, quod materialistis est materia suis viribus instructa ; pantheistis est substantia infinita increata (Spinoza), vel Ego purum (Fichte), vel Indifferentia differentium (Schelling), vel Idea (Hegel), vel Inconscium (Hartmann), vel aliquid aliud, prout ingenium auctorum dictat.

b) Quoad alteram partem thesi adversantur, qui, ut Newton et Clark, immensitatem Dei cum spatio absoluto confundunt. His accensendus est Fenelon, qui immensitatem Dei definit: *extensionem sine limite,* ideoque nullo modo confundendam cum extensione corporea ; quaestio autem, *ubinam Deus sit,* melius supprimeretur, ait, utpote quae nullum sensum habens, et multis intricata difficultatibus.

c) Tertia pars negatur ab iisdem, qui primam negant.

Hisce positis, probatur thesis.

I. P. 1ª *Prop.* Deus mutari nequit mutatione impropria.
(Ex eo quod est ipsum esse subsistens.)
Ipsum esse subsistens mutari nequit mutatione impropria.
Atqui Deus est ipsum esse subsistens, ut alibi probatum est.
Ergo Deus mutari nequit mutatione impropria.
Maj. Mutatio impropria est creatio vel annihilatio.
Atqui ipsum esse subsistens creari vel annihilari nequit.
Ergo ipsum esse subsistens mutari nequit mutatione impropria.
Nota. Idem conficitur ex eo quod Deus est ens primum, absolute necessarium.

2ª *Prop.* Deus mutari nequit mutatione propria physica.
a) (Ex eo quod Deus est primum ens.
Primum ens est physice immutabile.
Atqui Deus est primum ens.
Ergo Deus est physice immutabilis.
Maj. Omne quod movetur, ab alio movetur, ideoque primum ens, si moveretur, ab alio moveretur, et non esset primum ens.
Min. Ex alibi demonstratis constat.

b) (Ex eo quod Deus est ens simplicissimum).
Ens simplicissimum est physice immutabile.
Atqui Deus est ens simplicissimum.
Ergo Deus est physice immutabilis.
Maj. Quod mutatur, componitur potentia et actu, ideoque non est simplicissimum.
Nota. Idem confici potest ex eo, quod Deus est primum ens, absolute necessarium, infinite perfectum.

3ª *Prop.* Deus mutari nequit mutatione propria morali.
a) (Ex eo quod Deus est physice immutabilis).
Quod est physice immutabile, est etiam moraliter immutabile.
Atqui Deus est physicè immutabilis.
Ergo Deus est etiam moraliter immutabilis.
Maj. Novus actus voluntatis est aliquid reale et physicum.

b) (Ex eo quod nulla est in Deo ratio unde mutatio voluntatis repeti possit).
Mutatio voluntatis aut procedit ex mutata dispositione subiecti, aut ex ignorantia eiusdem, qua non omnia praevidet, aut ex levitate animi, aut ab extrinseco.
Atqui ad voluntatem divinam quod spectat, mutatio pro-

venire nequit ex 1°, quia Deus est omnis vicissitudinis expers; non ex 2°, quia Deus est perfectissimus; non ex 3°, quia Deus scientiam habet infinitam, non ex 4°, quia Deus est omnino independens.

Ergo in Deo nulla mutatio moralis locum habere potest.

II. P. 1ª *Prop.* Deus est immensus.

a) (*Ex perfectione Dei*).

Ens, cuius perfectio spatio circumscribi vel definiri nequit, est immensum.

Atqui Deus est tale ens.

Ergo Deus est immensus.

Maj. Est notio immensitatis.

Min. Deus est simplicissimus et infinitus.

b) (*Ex immutabilitate Dei*).

Deus est immutabilis.

Atqui nisi esset immensus, mutari posset loco, si alios mundos crearet.

Ergo Deus est immensus.

2ª *Prop.* Deus est ubique per praesentiam, per potentiam, per essentiam.

a) *Est ubique.*

(*Ex eo quod praesentia localis est perfectio simplex*).

Omnis perfectio simplex est Deo attribuenda.

Atqui praesentia localis est perfectio simplex.

Ergo praesentia localis est Deo attribuenda.

Maj. Deus est perfectissimus.

Min. Praesentia, sicut ipsum *esse*, perfectionem tantum in suo conceptu dicit; imperfectio solum est in eo, quod aliquid sit in loco *localiter*, vel *definitive*, quod de praesentia Dei in loco non dicitur.

b) Per praesentiam.

Esse ubique per praesentiam significat omnia cognoscere, quae quovis loco sunt, vel fiunt.

Atqui Deus omnia, quae quovis loco sunt vel fiunt, cognoscit.

Ergo Deus est ubique per praesentiam.

Maj. Est notio.

Min. Deus habet perfectissimam scientiam, cum sit perfectissimus et infinitus.

c) Per potentiam.

Causa efficiens prima του Esse est per potentiam ubicumque aliquid locum habet, quod participat de ratione essendi.

Atqui Deus est causa efficiens prima τοῦ Esse.

Ergo Deus est per potentiam ubicumque aliquid locum habet, quod participat de ratione essendi.

Maj. Per se intelligitur.

Min. τὸ Esse, cum sit universalissimum, nonnisi a causa universalissima produci potest, quae est Deus.

d) *Per essentiam.*

Deus est ubique per potentiam, ut nuper probatum est.

Atqui in Deo idem realiter est potentia et essentia.

Ergo Deus est ubique per essentiam.

III. P. Deus est aeternus.

(*Ex notione Dei et aeternitatis*).

Aeternum est ens cuius duratio caret initio et fine, et est tota simul.

Atqui Deus est tale ens.

Ergo Deus est aeternus.

Maj. Est notio.

Min. Deus est ens a se, absolute necessarium et immutabile.

Solvuntur difficultates.

Contra 1am. **P.**

1) Quod movet seipsum, mutatur.

D. Quod movet seipsum motu proprio sensu accepto C. improprio et latissimo sensu accepto N.

Explico. Motus proprio sensu acceptus est transitus de potentia ad actum. Improprio vel latissimo sensu acceptus est activitas quaevis, quae a nobis intelligitur ut motus quidam, quamvis non sit.

2) Quod non semper eadem facit, mutatur.

D. Mutatur extrinsece C. intrinsece Sbd. si cum ponitur effectus, agens transit de potentia ad actum C. secus N.

Explico. Quidquid Deus in tempore ponit, ab aeterno decrevit faciendum, ideoque mutatio non est Deo intrinseca.

3) Agens liberum est mutabile.

D. Agens liberum finitum C. infinitum Sbd. actus entitative inspectus potest non esse N. terminative C.

Declaratio: Perfectio libertatis non est in eo, quod quis possit mutare consilium, sed quod quis sese determinet in suis operationibus; quod autem quis, ut sese determinet, debeat transire de potentia ad actum, vel plures elicere actus, vel quod possit mutare consilium, non est de ratione libertatis *ut sic*, sed de ratione libertatis finitae.

4) Repugnat eundem actum esse actum amoris, et odii.

D. Repugnat pro eadem terminatione C. pro diversa N.

5) Deus a non creante factus est creans.

D. Per actionem terminative temporaneam, entitative aeternam C. per actionem terminative et entitative temporaneam N.

Contra 2am P.

1) Quod incipit esse ubi antea non erat, non est immensum.

D. Quod incipit esse per novam realitatem sibi intrinsecam C. per relationem novam et quidem realem ex parte alterius, logicam ex parte ipsius N.

2) Sicut indivisibile fluens nequit esse simul in omni tempore, ita indivisibile permanens nequit esse simul omnibus locis.

D. Indivisibile ad modum partis C. indivisibile ad modum totius Sbd. si perfectionem habet finitam C. si infinitam N.

3) Quod est totum in aliquo loco, nequit esse extra illum locum.

D. Si loco circumscribitur vel definitur C. si neque circumscribitur, neque definitur N.

4) Quod non est extensum, nequit esse immensum.

D. Immensitate molis C. immensitate perfectionis Sbd. si finitum est in perfectione C. si infinitum N.

5) Quo maior est virtus alicuius agentis, eo magis in distans agere potest.

D. h. e. absque ullo contactu, neque immediato neque mediato N. h. e. contactu mediato, seu medio aliquo interiecto, quod multum protendatur C.

Decl. Agens, cuius virtus est infinita, hoc ipso a nullo distat, sed est immediate praesens omnibus, in quibus agit. Agentia finita, quorum virtus maxima est, possunt suam activitatem exercere in obiecta, quae maxime distant, sed semper aliquo medio interiecto, cum actio in distans repugnet, ut alibi probatum est.

6) Deus non est in spatiis imaginariis, ideoque nequit dici immensus.

D. Et hoc ex defectus perfectionis divinae N. ex defectu existentiae actualis ex parte spatii absoluti vel imaginarii C.

Declaratur. Deus, cum habeat perfectionem infinitam, est per se sufficientissimus, ut praesentiam suam manifestet omnibus locis actualibus; si ergo spatiis imaginariis suam praesentiam non manifestat, deficientia non est ex parte Dei, sed ex parte locorum, quae non sunt: sic sol sufficientiam habet ad illuminanda corpora omnia, quae sunt; si non sunt, non illuminat, sed non ex sui insufficientia, ut patet.

Contra 3am P.

1) Aeternitas non soli Deo convenit, ideoque non est attributum divinum.

D. Praeter Deum sunt, quae dicuntur aeterna aeternitate similitudinaria C. aeternitate vera N.

Declaratio. Vera aeternitas est duratio interminabilis, seu carens initio et fine, et tota simul; si aliquid ex his deest, aeternitas est similitudinaria; hac aeternitate dicuntur aeterna poenae inferni, gloria beatorum etc. Solet etiam dici aeterna res, cuius duratio est, vel videtur, satis longa; sic discipulis negligentibus videtur lectio aeterna, studium aeternum.

2) Aeternitas est quaedam duratio, ideoque in Deo non est.

D. Est duratio successiva, et habens initium vel finem N. tota simul et carens initio et fine C.

3) Omnis duratio importat prius et posterius.

D. Extrinseca Tr. intrinseca Sbd. in ente mobili C. in ente immobili N.

4) Deo tribuitur praesens, praeteritum et futurum.

D. Quia eius duratio omnes durationes eminenter continet C. quia eius duratio est successiva N.

5) Omnis duratio est mensura quaedam.

D. Duratio externa C. interna Sbd. ideoque commensuratur enti, quod durat C. non commensuratur N.

6) Si aeternitas est duratio tota simul, omnia, quae existunt praeter Deum, toti aeternitati coexistunt.

D. Coexistunt enti aeterno C. ab aeterno N.

7) Si aeternitas est tota simul, nihil respectu Dei est praeteritum vel futurum.

D. Praeteritum et futurum essent simul cum praesente N. Deus ipse, cum sit immutabilis, aequo modo respicit futurum vel praeteritum ac praesens C.

Declaratio. Centrum circuli aequo modo respicit partes peripherias, sed hae non aequo modo se habent inter se, sed aliae sunt priores, aliae posteriores.

Schol. Ad complementum eorum, quae hucusque disputavimus de quidditate Dei et attributis divinis quidditativis vel quiescentibus, pauca addemus de veritate, bonitate et pulchritudine Dei.

1. Ad 1um quod attinet, duae statui possunt propositiones:

1ª *Prop.* Deus est in se ipsa veritas subsistens, tum in essendo, tum in cognoscendo.

Ens cuius *esse* et *intelligere* idem sunt, et realiter et formaliter implicite, est ipsa veritas subsistens, tum in essendo, tum in cognoscendo.

Atqui Deus est huiusmodi ens.

Ergo Deus est ipsa veritas subsistens, tum in essendo, tum in cognoscendo.

Maj. Sequitur ex notione veritatis, tum in essendo, tum in cognoscendo.

Veritas in essendo est *adaequatio rei ad intellectum ;* veritas in cognoscendo est *adaequatio intellectus ad rem ;* si ergo haec adaequatio sit perfecta identitas, ut est in ente, cuius intelligere est esse, et esse est intelligere, habetur ipsa veritas subsistens, tum in essendo, tum in cognoscendo.

Min. Deus, cum sit ens a se, simplicissimum et immutabile, ut suis locis probatum est, est ipsum suum esse et intelligere.

2ª *Prop.* Deus est ultima ratio omnis veritatis creatae, tum in essendo, tum in cognoscendo.

Ens, a quo res ultimo habent esse et intelligere, est ratio ultima omnis veritatis creatae, tum in essendo, tum in cognoscendo.

Atqui Deus est huiusmodi ens.

Ergo Deus est ratio ultima omnis veritatis creatae, tum in essendo, tum in cognoscendo.

Maj. Veritas creata in essendo est ipsa rei intelligibilitas, quae in sua entitate proxime fundatur. Veritas creata in cognoscendo est conformitas cognitionis cum rei entitate, et in ipsa aptitudine mentis ad cognoscendum proxime nititur.

Min. A Deo res habent entitatem, ideoque et intelligibilitatem , et intellectus creatus a Deo habet, ut possit rei entitatem attingere.

II. Ad alterum quod spectat, tres statuimus propositiones.

1ª *Prop.* Deo convenit ratio boni.

Ens, a quo cetera habent ut sint bona, est bonum.

Atqui Deus est, a quo cetera habent ut sint bona.

Ergo Deus est bonus, immo, cum sit summum ens, est summe bonum, quia ens et bonum convertuntur.

Maj. Id propter quod unumquodque tale, et illud magis.

Min. Omnia praeter Deum, a Deo habent esse, ideoque et appetibilitatem.

2ª *Prop.* Deus est ipsa bonitas subsistens.

Deus, cum sit simplicissimus, quidquid habet, est.

Atqui habet bonitatem.

Ergo est bonitas.

Mj. In Deo nihil est participatum, sed sicut est forma-

liter suum esse, ita est formaliter sua bonitas, et omnis perfectio simplex, quam ratio essendi complectitur.

3ª *Prop.* Deus est summum bonum sibi et ceteris.

a) Sibi : Quod ita est sua perfectio, uti nihil sit ei appetibile praeter seipsum, est summum bonum sibi.

Atqui Deus est huiusmodi.

Ergo Deus est summum bonum sibi.

Maj. Bonum idem est ac ens, ut conveniens alicui, seu ut afferens ei perfectionem aliquam.

Min. Deus est sibi sufficientissimus, omnia a se habens.

b) Ceteris : Bonum, a quo cetera repetunt suam bonitatem, et in quod omnia tendunt ut in finem absolute ultimum, est summum bonum ceteris.

Atqui Deus est huiusmodi bonum.

Ergo Deus est summum bonum ceteris.

Maj. Per se intelligitur.

Min. Universa propter semetipsum operatus est Deus.

III. Deus est pulcherrimus, immo ipsa pulchritudo subsistens.

1) Deus est pulcherrimus.

a) Pulchrum dicitur, quod est delectabile contemplanti. Tria importat: integritatem, consonantiam, claritatem.

Atqui haec tria in Deo sunt, et quidem in summo gradu.

Ergo in Deo est pulchritudo, et quidem in summo gradu.

b) Idem probatur ex principio: « *Id propter quod unumquodque tale et illud magis* », et ex eo quod pulchritudo est perfectio, quae melior est ipsa, quam non ipsa.

2) Ipsa pulchritudo subsistens.

(*Ex simplicitate Dei*).

Ens simplicissimum, quod habet, hoc est.

Atqui Deus est ens simplicissimum.

Ergo Deus quod habet, hoc est.

Atqui habet pulchritudinem.

Ergo est pulchritudo.

CAPUT. III.

De operatione Dei ad intra.

THESIS IX.

Est in Deo perfectissima scientia, cuius obiectum formale et materiale primarium est ipsa divina essentia; secundarium autem sunt omnia praeter Deum; possibilia etiam et futura libera, sive absoluta, sive conditionata.

St. Q. 1) Scientia hic intelligitur cognitio rerum certa et evidens, praecisione facta ab eo, quod sit mediata vel immediata. Est ergo perfectio simplex; melior enim est ipsa, quam non ipsa, ideoque Deo tribuenda est, ut quidem meliori modo possibili, excludendo nempe ab ea omnes imperfectiones, quibus in creatis admixta est, non quidem ratione sui, sed ratione subiecti, a quo participatur. Est igitur scientia in Deo: Immediata, intuitiva, universalis, comprehensiva, infinita, infallibilis, simplicissima, subsistens: Deus enim unico et simplicissimo intuitu, qui realiter est ipsum suum esse, comprehensive intelligit seipsum et omnia praeter ipsum, quaecumque et quomodocumque sunt intelligibilia.

2) Sicut scientiae creatae, ita increatae distinguimus obiectum formale vel materiale primarium, et materiale secundarium.

Formale vel materiale primarium est obiectum, quod *primo* et *per se* attingitur ab aliqua facultate, et ratione cuius ab eadem attinguntur cetera, quaecumque attinguntur, v. g. obiectum formale vel materiale primarium visus est coloratum; hoc enim est, quod *primo* et *per se* attingitur a visu, et ratione cuius ab eo attinguntur cetera, quaecumque attinguntur, v. g. extensum, figuratum. Ad scientiam Dei quod spectat, dicimus obiectum eius formale vel materiale primarium esse ipsam divinam essentiam; haec enim est quae *primo* et *per se* a Deo intelligitur, et ratione cuius intelliguntur ab eo omnia, quaequmque intelliguntur.

3) Cetera, quae praeter Deum a divina scientia attinguntur, sunt eius obiectum materiale secundarium, et possunt hoc modo distribui:

a) Possibilia et *actualia*, prout actu non sunt, sed possunt esse; vel in aliqua temporis differentia existentiam sortiuntur: ad actualia ergo pertinent non solum praesentia,

sed etiam praeterita et futura absoluta, sive necessaria, sive libera.

Possibile dici potest aliquid dupliciter, exclusive nempe et praecisive : Exclusive seu mere possibile est quod potest esse, sed nunquam erit; *praecisive* possibile est, quod potest esse, praescindendo ab eo, quod de facto erit vel non erit. In thesi sumitur priori sensu.

b) Futura alia sunt necessaria alia libera, prout a causa necessaria derivant, vel libera.

Causa necessaria est, quae agit ex intrinseca determinatione ad unum, ideoque, positis omnibus ad agendum requisitis, non potest non agere.

Causa libera est immunis ab intrinseca determinatione ad unum, ideoque, positis omnibus ad agendum requisitis, potest agere vel non agere.

c) Futura libera alia sunt absoluta, alia conditionata, prout enuntiabile enuntiatur independenter a quavis conditione, vel dependenter ab aliqua conditione ; in hac propositione , v. g. « *Hac nocte, priusquam gallus cantat, ter me negabis* » futurum liberum absolutum enuntiatur.

In hac altera propositione: « *Si periculo te exponis, peccabis* » futurum liberum conditionatum exprimitur.

In thesi tamen futura libera conditionata intelliguntur actiones liberae, quae non fient, sed fierent, si aliqua conditio poneretur ; exemplum est in his verbis D. N. I. C. : « *Si in Tyro et Sidone factae essent virtutes, quae factae sunt in te, poenitentiam egissent* ».

Huiusmodi futura dici solent etiam futuribilia, quia sunt quid medium inter futura absoluta et mere possibilia, participant enim de utrisque. Et revera futuribilia dici nequeunt mere possibilia,quia mere possibilia sub nulla conditione erunt, futuribilia e contra sub aliqua conditione essent; dici nequeunt futura absoluta, quia futura absoluta erunt, futuribilia non erunt; sed tamen partecipant de possibilibus, quia possunt esse, et de futuris, quia essent, si poneretur conditio.

4) Ut per se patet, in propositionibus de futuris liberis conditionatis nexus inter antecedens et consequens non est necessarius, sed contingens; agens enim sub illa conditione positum libere sese determinabit ad agendum, vel non agendum, quamvis certe aliquid eliget,ideoque necessitas, quae inde consequitur, non est antecedens, sed consequens, vel, ut alii dicunt, non est consequentis, sed consequentiae, in quantum nempe voluntas sese determinando, non potest non eligere aliquid.

5) Ratio futuri dicitur futuritio et duplex distinguitur, causalis et formalis.

a) Causalis vel extrinseca est determinatio vel ordinatio causarum in praesenti existens et connexa cum futuro eventu.

b) Formalis vel intrinseca est existentia rei in secutura temporis differentia.

6) Scientia Dei, quamvis sit in se una et simplicissima, Deus enim, ut diximus, uno et simplicissimo intuitu, comprehensive intelligit se et omnia praeter se, quaecumque sunt vel esse possunt, ratione tamen obiecti, quod attingit, multiplex distingui solet, et est:

a) Necessaria vel *libera*, prout obiectum attingit necessarium vel contingens.

b) Visionis vel *simplicis intelligentiae*, prout actualia attingit, vel mere possibilia.

c) Est *media*, prout futuribilia attingit, quae, ut diximus, quid medium sunt inter mere possibilia et absolute futura.

d) Speculativa vel *practica*, prout obiectum respicit operabile vel non.

e) Approbationis vel *reprobationis*, prout respicit bona, quae Deus vult et facit, vel prava hominum opera, quae Deus non vult, sed permittit.

7) Thesim negant *a)* athei, ut patet, et pantheistae ideales, quibus Deus non est transcendens neque personalis, sed impersonalis et immanens in ipsis hominibus, in quibus conscientiam et personalitatem acquirit, ideoque eius scientia nunquam perfecta est, sed semper sine intermissione evolvitur.

b) Qui restringunt divinam scientiam, ut Cicero v. g. qui ad servandam homini libertatem negavit Deo praescientiam futurorum contingentium.

c) Etiam Aristoteles videtur coarctasse divinam scientiam, putans esse indignum Deo cognoscere alia praeter se. (Hontheim – Theod. p. 105 n. 177).

8) Thesis tribus partibus continetur, quarum:

1ª est de scientia Dei in se spectata,

2ª de obiecto formali et materiali, tum primario, tum secundario generatim,

3ª de obiecto materiali secundario in specie.

Omnes tres defenduntur uti certae.

I. P. Prob. *(Ex eo quod Deo tribuendae sunt omnes perfectiones simplices, et quidem meliori modo possibili).*

Deo tribuendae sunt omnes perfectiones simplices, et quidem meliori modo possibili.

Atqui scientia, prout dicit cognitionem rerum certam et evidentem, est perfectio simplex.

Ergo scientia est Deo tribuenda, et quidem meliori modo possibili.

Maj. Deus est summe perfectus et simpliciter infinitus; est ratio sufficiens omnium perfectionum quae sunt in rebus; est causa mundi ordinatrix sapientissima.

Min. Ex notione perfectionis simplicis, quae ratione sui nullam includit imperfectionem, vel quae melior est ipsa quam non ipsa.

Cor. Ergo scientia in Deo est:

a) Incausata, infallibilis, immutabilis.

b) Non abstractiva, non iudicativa, non discursiva.

c) Sed intuitiva, immediata, simplicissima.

d) Comprehensiva, infinita, subsistens.

Deus enim propter omnimodam suam simplicitatem, est suum intelligere, sicut est suum esse, ideoque uno eodemque simplicissimo actu est et intelligit se et omnia. De Deo ergo tantum valet illud pantheistarum: « *Intelligere est esse* ».

II. P. Prob. *(Ex eo quod divinus intellectus actuari nequit vel, iuxta nostrum cogitandi modum, fieri actu intelligens nisi per divinum esse vel essentiam).*

Obiectum formale, vel materiale primarium alicuius facultatis, est quod primo et per se ab illa facultate attingitur, et ratione cuius attinguntur cetera, quaecumque ab eadem facultate attinguntur.

Atqui quod primo et per se ab intellectu divino attingitur, et ratione cuius cetera omnia attinguntur, quaecumque ab eodem attinguntur, est divinum esse vel essentia.

Ergo divinum esse vel essentia est obiectum formale vel materiale primarium divini intellectus.

Maj. Est notio obiecti formalis, vel materialis primarii.

Min. Intellectus divinus, cum sit infinitus, nonnisi a specie intentionali infinita, iuxta nostrum intelligendi modum, actuari vel moveri potest; iamvero sola *quidditas* Dei est infinita.

Cor. Ergo obiectum materiale secundarium sunt omnia praeter Deum. Nam:

Cum Deus scientiam habeat infinitam, omnia cognoscit, quae sunt cognoscibilia.

Atqui omnia, quae sunt vel esse possunt praeter Deum, sunt cognoscibilia.

Ergo Deus omnia quae sunt, vel esse possunt praeter seipsum, cognoscit.

Atqui non primario, ergo secundario, in quantum nempe comprehensive cognoscit seipsum, ad quem cetera omnia, quae sunt vel esse possunt, referuntur.

III. P. Prob. 1) Deus cognoscit possibilia.

a) (Ex eo quod possibilia sunt cognoscibilia).

Deus cognoscit quaecumque sunt cognoscibilia.

Atqui possibilia sunt cognoscibilia.

Ergo Deus cognoscit possibilia.

Maj. Scientia Dei est infinita.

Min. Possibilia non sunt nihil.

Atqui quod non est nihil, est cognoscibile.

Ergo possibilia sunt cognoscibilia.

Maj. Nihil nequit esse, possibilia possunt esse.

Min. Quod non est nihil, est aliquid, ergo est cognoscibile.

b) (Ex eo quod Deus comprehensive intelligit suam essentiam, suamque potentiam).

Qui comprehensive intelligit aliquid, intelligit quoque omnia, quae cum eo sunt quomodocumque relata.

Atqui Deus comprehensive intelligit suam essentiam suamque potentiam.

Ergo Deus intelligit omnia, quae ad suam essentiam suamque potentiam sunt relata.

Atqui possibilia ad suam essentiam suamque potentiam sunt relata.

Ergo Deus intelligit possibilia.

Maj. 1^{i} Est notio cognitionis comprehensivae, quae exhaurit totam intelligibilitatem obiecti, seu habetur, cum nihil eorum, quae quomodolibet ad obiectum referuntur, latet cognoscentem.

Min. 1^{i} Scientia Dei est infinita.

Min. 2^{i} Possibilia *a)* referuntur ad divinam essentiam, cuius sunt imitationes, quamvis imperfectae.

b) Ad divinam potentiam, a qua habent adaequatam possibilitatem: quod enim Deus non potest facere, non potest fieri.

2) Deus cognoscit futura libera absoluta.

a) (Ex eo quod Deus ab aeterno cognoscit quaecumque in quavis temporis differentia sunt cognoscibilia).

Deus ab aeterno cognoscit quaecumque in quavis temporis differentia sunt cognoscibilia.

Atqui futura libera absoluta sunt pro sua temporis differentia cognoscibilia.

Ergo Deus ea ab aeterno cognoscit.

Maj. Scientia Dei est infinita et immutabilis, quod non esset nisi Deus ab aeterno actu cognosceret, quidquid in quavis temporis differentia est cognoscibile.

Min. Per se intelligitur: futurum enim absolutum, tempore quo est, est eo ipso cognoscibile.

b) (Ex eo quod futura libera absoluta ab aeterno habent determinatam veritatem).

Quod ab aeterno determinatam veritatem habet, est ab aeterno cognoscibile.

Atque futura libera absoluta ab aeterno determinatam veritatem habent.

Ergo futura libera absoluta sunt ab aeterno cognoscibilia.

Maj. Est per se evidens.

Min. Quod est pro aliquo tempore verum, semper est pro illo tempore verum.

Atqui propositio de futuro libero absoluto est vera pro tempore, quo eventum locum habet.

Ergo propositio de futuro libero absoluto est semper pro illo tempore vera; si semper, ergo ab aeterno.

Declar. Semper v. g. verum fuit, Petrum tempore Passionis negaturum esse Christum, posita tamen libera determinatione Petri ad negandum.

3) Deus cognoscit futura libera conditionata.

a) (Ex eo quod habent determinatam veritatem).

Quidquid determinatam veritatem habet, a Deo cognoscitur.

Atqui futura libera conditionata determinatam veritatem habent.

Ergo futura libera conditionata a Deo cognoscuntur.

Maj. Sientia Dei est infinita.

Min. Causa libera, si in certis adiunctis poneretur, *certe aliquid* eligeret, cum repugnet eam neque eligere, neque non eligere.

b) (Ex eo quod quidquid perfectionis est in creaturis est Deo tribuendum, et quidem modo eminentiori).

Quidquid perfectionis est in creaturis, est Deo tribuendum, et modo quidem eminentiori.

Atqui cognitio futuribilium, saltem coniecturalis, est in creaturis.

Ergo est Deo tribuenda, et modo quidem eminentiori, ideoque non coniecturalis, sed certa.

Maj. Deus est summe perfectus et simpliciter infinitus.

Min. Dux v. g. in re militari valde peritus, praevidet, quid probabiliter inimicus faceret, si ipse hanc vel illam positionem sumeret, vel si hoc aut illud iter faceret. Et si haec nesciat praevidere, vituperio ei vertitur.

Vir in re politica valde expertus praevidet, quid probabiliter eveniret, si ipse hanc vel illam ordinationem imponeret: et si non praevidet, habetur ut homo ineptus ad gubernandum.

c) Confirmatur: α) Ex inconvenientibus quae sequerentur; Deus enim rogatus, quid fieret in his vel aliis adiunctis, respondere deberet, vel: *Nescio,* vel: *fortasse hoc vel illud.* Utrumque est indignum Deo.

β) Ex facto.

Deus rogatus a Davide, utrum Saul descensurus esset in urbem Ceilam, et utrum Ceilamitae Sauli eum tradituri essent, respondit: *Descendet, tradent.* David, hoc accepto responso, urbem reliquit. Traditio non locum habuit, sed habuisset, si David in urbe mansisset, ergo futuribilis fuit.

Aliud exemplum habes in poenitentia Tyriorum et Sidoniorum, quae non fuit facta, sed fuisset, si apud eos factae fuissent virtutes, quae factae fuerunt in oppidis Bethsaida et Corozaim.

Solvuntur difficultates.

Contra 1am P.

1) Scientia intelligitur ut quid superadditum enti iam in suo esse completo.

D. Scientia causata C. incausata Sbd. iuxta nostrum modum intelligendi Tr. revera N.

2) Scientia est cognitio conclusionis ex cognitione principiorum parta.

D. In ente, quod non omnia actu intelligit C. in ente, quod omnia actu intelligit N.

3) Scientia est de universalibus.

D. Scientia abstractiva C. intuitiva Sbd. cognoscit universalia C. universalisando N.

4) Saltem scientia in Deo non est perfectissima, quia:

a) Non universalis:

Intelligere in actu nonnisi unum contingere potest.

D. Unum in quo plura cognosci possunt C. non possunt Sbd. Intelligere finitum Tr. infinitum N.

b) Non immutabilis.

Scientia dicitur relative ad scibile.

D. Scientia causata C. incausata Sbd. quae relatio est logica ex parte scientis C. realis N.

c) Non actu infinita.

Deus quae potest facere, potest scire.

Atqui plura potest facere, quam facit.

Ergo plura potest scire, quam scit.

D. *Maj.* Si *potest* intelligitur de possibilibus praecisive sumptis C. si de possibilibus late sumptis, seu de iis, quae Deus actu facit Sbd. potest scire scientia visionis C. simplicis intelligentiae N.

C. *Min.* — D. p. c. Potest plura scire scientia visionis C. simplicis intelligentiae N.

Explico: Scientia visionis est *terminative* actu finita, seu *terminus* huius visionis est semper actu finitus, cui tamen addi potest sine fine.

Contra 2am P.

I. *Deus non cognoscit seipsum.*

1) Cognoscere se est redire in se.

D. Proprie N. metaphorice Sbd. actu non semper distincto a se C. semper. *Iter. dist.* in ente quod non est suum cognoscere C. quod est N.

2) Si Deus cognosceret se, assimilaret se sibi.

D. Si cognosceret se per actum distinctum a se, Tr. per actum, qui est ipsum suum esse N.

3) Si Deus se comprehenderet, esset finitus sibi

D. Hoc est: sibi proportionatus C. limitaret se cognoscens se N.

II. *Deus non cognoscit alia a se.*

1) Cognitum est perfectio cognoscentis.

D. Cognitum cognitione causata ab ipso cognito C. cognitione ab ipso non causata N.

2) A cognoscente et cognito simul paritur cognitio.

D. Cum cognoscens non est suum cognoscere C. cum est N.

3) Si Deus alia a se cognosceret, in eo plures essent ideae.

D. Si pluribus actibus cognoscitivis cognosceret C. si unico et simplicissimo actu cognoscit omnia N.

4) Cognoscere alia a se est Deo indignum.

D. Si a nobiliori obiecto cognoscendo avocaretur C. si non avocatur Sbd. est indignum ea cognoscere cognitione ab ipsis causata C. non causata N.

5) Si Deus cognosceret alia a se, cognitio quam habet de se, augmentum pateretur.

D. Si cognosceret per actum diversum ab eo, quo Deus cognoscit se C. si eodem simplicissimo actu cognoscit se et alia N.

Contra 3am **P.**

I. *Deus non cognoscit possibilia.*

1) Non entis non est scientia.

D. Non entis, quod est *simpliciter* nihil Tr. non entis, quod non est *simpliciter* nihil N.

2) Si Deus cognosceret mere possibilia, ea causaret, quia scientia Dei est causa rerum.

D. Si cognosceret scientia practica C. si scientia theoretica N.

Ad rationem: D. Scientia est causa rerum, adiecto voluntatis decreto C. hoc non adiecto N.

3) Quae sunt numero infinita cognosci nequeunt.

D. Ea successive numerando C. unico intuitu Sbd. ab intellectu infinito N. finito C.

Declar. Difficultas confundit numerum infinitum cum multitudine infinita, quae non sunt confundenda, ut dictum est in Cosmologia.

4) Eousque sese extendit scientia, quousque potentia.

Atqui potentia non potest facere omnia possibilia.

Ergo neque scientia ea cognoscere.

D. *Maj.* Utraque est infinita C. utraque obiectum respicit eodem modo N.

D. *Min.* Simul C. non potest sine fine alia et alia producere N.

D. c. Scientia visionis C. simplicis intelligentiae N.

5) Deus non cognoscit ultimum possibile.

D. Quod datur N. quod non datur, neque dari potest C.

II. *Deus non cognoscit futura libera.*

1) Quod Deus providet, necessario futurum est.

D. Necessario necessitate consequenti C. antecedenti N.

2) Stante Dei praevisione, voluntas nequit aliter sese determinare.

D. Si praevisio esset duratione et natura prior determinatione C. si duratione tantum N.

3) Stante Dei praevisione, si voluntas aliter sese determinaret, impediret divinam scientiam.

D. Impediret *directe*, influens nempe in ipsam divinam scientiam N. *indirecte*, quatenus prohiberet, quominus divina scientia diceretur ad illam actionem terminare Tr.

Decl. Difficultas laborat falso supposito, Deum nempe co-

gnoscere futura, ut futura. Si quis subtrahit se a luce solis, impedit, quominus sol *dicatur* eum illuminare, sed non impedit *illuminationem* solis.

4) Praescientia a tota aeternitate praecedit determinationem voluntatis.

Atqui huiusmodi neque indirecte impediri potest.

Ergo posita praescientia, voluntas nequit aliter sese determinare.

D. *Maj.* Praecedit duratione C. natura N.

C. d. m.

D. c. Nequit impossibilitate consequenti C. antecedenti N.

Explico : Deus ita praevidet, quia ita voluntas libere sese determinat. Scientia Dei, cum sit intuitiva, nullam necessitatem infert.

5) Si praescientia Dei est consequens determinationem voluntatis, ab ea dependet.

D. Pendet tamquam a causa N. tamquam a conditione, sine qua scientia Dei dici nequit terminare ad illam C.

Declar. Obiectum non causat illuminationem solis, attamen si non est, nequit dici sol ipsum illuminare.

6) Repugnat videre ut praesentia, quae non sunt.

D. Quae non sunt, neque erunt C. quae non sunt, sed erunt Sbd. ab intellectu finito C. infinito *Iter. dist.* videre ut praesentia pro illo tempore, quo praesentia erunt N. pro alio tempore C.

Declar. Deus v. g. *ab aeterno videt* Petrum negantem tempore passionis, non videt Petrum *negantem ab aeterno.*

Contra 2am **P.**

Deus non cognoscit futuribilia.

1) In futuribilibus non est ratio, cur Deus unum videat prae altero.

D. Ex parte Dei C. ex parte obiecti N.

Explico : Causa libera, si in certis adiunctis poneretur, aliquid *certo* eligeret.

2) Quod in se neque est, neque erit, determinatam veritatem in se non habet.

D. Si neque in certis adiunctis esset C. si esset N.

3) In certis adiunctis futuribilia nihil habent, ut sint hoc potius quam alio modo determinata.

D. Non habent absolute et antecedenter ad determinationem voluntatis C. conditionate et consequenter ad determinationem voluntatis N.

4) Causa libera in quibusvis adiunctis constituta integra manet ad ponendam vel non ponendam actionem.

D. Antecedenter ad exercitium libertatis C. consequenter ad hoc exercitium, quod infallibiliter sequeretur, si conditio poneretur N.

5) Causa libera, quae in certis adiunctis necessario unum eligeret, non esset libera.

D. Si adiuncta determinarent electionem C. si adiuncta essent conditio praerequisita ad exercitium libertatis N.

Schol. I. *In quo medio Deus cognoscat alia a se.*

1) Medium cognitionis est quidquid aliquo modo ad rem aliquam cognoscendam concurrit. Quadruplex distinguitur: *Sub quo, quo, in quo, ex quo.*

a) Sub quo est medium quod perficit facultatem cognoscitivam, attamen eam non determinat ad hanc potius quam ad aliam cognitionem eliciendam; tale est v. g. lumen intellectuale relate ad cognitionem humanam.

b) Quo est medium, quod complet facultatem cognoscitivam, et eam determinat ad hunc peculiarem actum exerendum; talis est v. g. species intentionalis relate ad nostram cognitionem.

c) In quo est medium quod cognitum ducit in cognitionem alterius, ita tamen ut uno eodemque actu cognoscatur ipsum et aliud in ipso; sic anima cognoscens suas affectiones cognoscit seipsam in eis.

d) Ex quo est medium, cuius cognitio ducit in cognitionem alterius, per actum tamen a primo diversum; huiusmodi est v. g. cognitio principiorum, ex quibus cognoscitur conclusio.

Ut patet, medium *sub quo* neque determinat, neque terminat cognitionem, ad quam concurrit; medium *in quo* et *ex quo* determinant et terminant cognitionem ad quam concurrunt, sed diverso modo: in primo enim unus actus, in altera duplex actus habetur.

e) Ad cognitionem Dei quod spectat, nihil habet relate ad eam rationem medii *sub quo* vel *ex quo*, Deus enim est suum intelligere, ideoque a nullo determinatur ad cognoscendum, potest tamen divina essentia considerari, ad modum nostrum concipiendi, uti *medium quo* vel *in quo* Deus omnia cognoscit; ut enim in thesi demonstravimus, divina essentia est obiectum formale et materiale primarium divini intellectus. Quoad haec fere nulla habetur controversia; sed cum quaeritur, utrum Deus alia a se cognoscat etiam *in seipsis*, oriuntur controversiae, maxime quoad futura libera, tum absoluta, tum conditionata. Notandum tamen est sensum huius expressionis *in seipsis* relate ad cognitionem divinam non esse,

quasi Deus cognoscat alia a se, secundum speciem ab ipsis mutuatam; *cognoscere Dei* enim nullo modo ab alio causatur: sed esse *cognoscere alia* secundum propriam cuiusque rationem.

2) Quoniam, ut diximus, de futuris liberis tum absolutis, tum conditionatis, habetur maior controversia, ad haec tantum attentionem convertimus.

Variae dantur sententiae, sed praecipuae sunt duae: Prima tenet Deum cognoscere futura libera, tum absoluta tum conditionata, in seipsis, secundum nempe illam realitatem, quam habebunt, vel habitura essent. Haec enim futura, quamvis non sint in seipsis determinata antecedenter ad exercitium libertatis, determinatam tamen veritatem in seipsis habent dependenter ab illo exercitio, quod sine dubio habetur, vel haberetur, cum repugnet, causa liberam in certis adiunctis constitutam, neque eligere, neque non eligere. Cum ergo causa 2ª determinate aliquid eliget vel eligeret, *hoc aliquid*, quod intellectui finito est occultum, infinito est manifestum. Haec sententia a nobis praefertur, cum videatur melius conciliari, et cum libertate humana, et cum sanctitate Dei.

Altera sententia tenet, Deum cognoscere futura libera, sive absoluta sive conditionata, in suis decretis praedeterminantibus, absolutis quidem pro futuris liberis absolutis, subiective absolutis et obiective conditionatis pro futuris liberis conditionatis.

Decretum praedeterminans est actus voluntatis divinae, quo Deus antecedenter ad exercitium libertatis humanae decernit quid determinate homini faciendum sit in his vel aliis adiunctis.

Duplex distinguitur: *absolutum*, quo Deus determinat quid faciendum sit, nulla conditione apposita: v. g.: *Nolo facere miracula apud Tyrios et Sidonios.*

Subiective absolutum et *obiective conditionatum*, quo Deus decernit quid faciendum sit dependenter ab aliqua conditione, quae ab ipso solo pendet, et quam ponere non vult; v. g.: *Volo Tyrios et Sidonios poenitentiam agere, sub conditione, quae a me solo pendet, et quam nolo ponere.*

Haec sententia reiicitur:

a) Nihil magni in Deo ponit: quid enim mirum, si Deus praevidet, quae ipse vult, ut fiant, vel ut fierent.

b) Ponit in Deo voluntates contradictorias: dicere enim « *Volo aliquid fieri sub conditione, quae a me solo pendet, et quam nolo ponere* » idem valet ac: « *Volo illud fieri et non fieri* ».

c) Non videtur bene conciliari cum libertate humana, in-

ducunt enim illa decreta necessitatem antecedentem, cum Deus antecedenter ad exercitium libertatis decernat, quid faciendum sit, vel esset.

d) Non videtur quomodo actio peccaminosa tribui possit homini, cum homo necessitate antecedenti determinetur ad illam determinatam actionem ponendam.

Cor. Ergo admittenda est scientia media, nempe scientia conditionata vel futurorum liberorum conditionatorum.

N. B. Superfluum est notare, fautores prioris sententiae non negare in Deo esse decreta respicientia futura libera, sive absoluta sive conditionata, sed negare ea esse antecedenter ad praevisionem determinationis voluntatis.

Schol. II. *(Utrum Deus cognoscat mala).*

R. Affirmative.

Deus cognoscit quidquid cognoscibile est.

Atqui mala sunt cognoscibilia.

Ergo Deus mala cognoscit.

Maj. Scientia Dei est infinita.

Min. Unumquodque eo modo est cognoscibile, quo est.

Atqui mala sunt privatio boni.

Ergo mala sunt cognoscibilia ut privatio boni ; ideoque non *per se ipsa,* sed *per bonum,* cuius sunt privatio ; sicut tenebrae cognoscuntur per lucem.

Schol. III. *Utrum Deus cognoscat infinita distincte.*

Resp. Affirmative.

Essentia divina, per quam intellectus divinus intelligit, est similitudo sufficiens omnium, quae sunt vel esse possunt, non solum quoad ea, quae sunt communia, sed etiam quoad ea quae sunt propria uniuscuiusque.

Atqui si ita, Deus *distincte* cognoscit omnia, quae sunt vel esse possunt.

Ergo Deus *distincte* cognoscit omnia, quae sunt vel esse possunt.

Atqui quae sunt vel esse possunt, sunt infinita.

Ergo Deus *distincte* cognoscit infinita.

Decl. Intellectus humanus, actuatus v. g. specie intelligibili *hominis,* cognoscit homines quodammodo infinitos, non *distincte* quidem sed *confuse,* quia species illa intelligibilis est similitudo hominum non quoad ea, quae sunt propria cuiusque, sed quoad ea, quae sunt omnibus communia.

Quaeritur : Suntne alia, quae a Deo cognoscuntur, infinita

categorematice, vel syncategorematice, seu actu vel potentia infinita?

Quaestio est valde disputata. Nobis tamen videtur cum distinctione esse respondendum: si enim relate *ad esse* considerantur, cum nequeunt omnia *simul* esse, infinita syncategorematice sunt dicenda; si vero considerantur relate *ad cognosci*, cum Deus ea cognoscat, non successive, sed omnia simul et uno quidem intuitu, actu infinita seu *categorematice* dicenda esse videntur.

THESIS X.

Est in Deo voluntas perfectissima, cuius obiectum formale et materiale primarium est ipsa divina bonitas; secundarium autem sunt alia existentia praeter Deum; vult tamen suam bonitatem Deus necessario, alia a se autem libere.

St. Q. 1) Voluntas generatim intelligitur tendentia in bonum apprehensum per intellectum. Eius praecipui actus tres distinguuntur: Amor, desiderium, gaudium. Amor est de bono *ut sic*, desiderium de bono absenti, gaudium de bono praesenti.

2) In Deo esse voluntatem, sequitur ex thesi praecedenti, in qua demonstratum est, in Deo esse intellectum; ab ea tamen removendum est quidquid imperfectionis est in voluntate creata, ideoque non est concipienda ad modum potentiae, quae pluribus actibus evolvatur et perficiatur, sed ut actus simplicissimus et subsistens, cum realiter sit ipsum esse Dei. Neque voluntati divinae tribuendum est desiderium, prout dicit tendentiam in bonum absens; Deus enim omnia possidet, quae faciunt ad suam perfectionem et felicitatum; est enim perfectissimus et infinitus, imo ipse est sua bonitas, sua perfectio, sua beatitudo, nihil indigens omnino.

Praeterea sunt a Deo removendae passiones proprie dictae, ut ira, tristitia et huiusmodi, quibus voluntas creata afficitur, et solum metaphorice Deo referri possunt, in quantum nempe ex effectibus videtur Deus, ac si esset ira vel tristitia commotus. Solum ergo amor et gaudium sunt Deo proprie tribuenda, cum nullam enim imperfectionem in ente infinito ponant.

3) Cum dicimus bonitatem divinam esse obiectum formale et materiale primarium divinae voluntatis, hoc non est ita intelligendum, quasi divina bonitas sit causa finalis divini *velle*, hoc enim, non secus ac divinum *esse*, cui realiter identificatur, nullam habet sui causam, sed intelligenda est divina bonitas ut ratio finalis divinae volitionis; Deus enim est ratio sufficiens *sui velle*, sicut est *sui esse* et *sui intelligere*. Neque

cum dicimus Deum alia praeter se propter suam bonitatem diligere, hoc est intelligendum, quasi alia divinae bonitati aliquid conferant, cum Deus nihil indigeat ; sed est intelligendum, alia a Deo diligi, ut suae bonitatis divitias cum eis communicet : « *Bonum enim est diffusivum sui* ».

4) Non eodem tamen modo Deus suam bonitatem et alia a se diligit : illam enim vult Deus necessario , haec autem libere.

a) Necessitas, qua divina voluntas in divinam bonitatem fertur, non est, ut per se intelligitur, *necessitas coactionis*, haec enim est vis a principio extrinseco illata; sed est necessitas naturalis, qua voluntas divina suo quasi pondere fertur in bonum sibi conveniens, seu infinitum, quod est ipse Deus. Est autem haec necessitas naturalis non solum *specificationis*, in quantum velle Dei nonnisi in bonitatem divinam ut in bonum sibi proprium ferri potest ; sed etiam *exercitii* , in quantum velle Dei nunquam a diligendo Deo intermittere potest.

b) Alia praeter se Deus vult *libere*, et quidem veri nominis libertate, a qua tamen removendae sunt imperfectiones, quibus creatum arbitrium est admixtum. Sic. imperfectio est, quod voluntas creata deficere possit et eligere inter bonum et malum ; quod ad exercendam suam libertatem transire debeat de potentia in actum et plures actus elicere ; quod mutare possit et debeat suum propositum; sed perfectio est, quod sit quodammodo domina sui et a nullo possit extrinsecus determinari ad volendum : hoc ergo voluntati divinae tribuendum est et quidem meliori modo possibili.

5) Quamvis *velle* Dei sit in se simplicissimum, pro diversa tamen ratione, qua obiecta ad ipsum referuntur, diversas admittit divisiones, quarum praecipuae sunt, quae sequuntur :

a) Voluntas beneplaciti et voluntas signi.

Prima est qua Deus sibi de bono complacet , altera in signis consistit, quibus Deus suam voluntatem manifestat. Quinque huiusmodi signa numerantur , quae hoc versiculo continentur :

Praecipit, ac prohibet, permittit, consulit, implet.

Sunt nempe :

Praeceptum, prohibitio, permissio, consilium, operatio.

b) Voluntas antecedens et voluntas consequens.

Prima est, qua Deus aliquid decernit independenter a praevisione determinationis voluntatis creatae.

Altera est, qua Deus aliquid decernit dependenter a praevisione determinationis voluntatis creatae.

Nota. Alii aliter intelligunt hanc distinctionem.

c) Voluntas efficax et voluntas inefficax,

Prima est, quae effectum sortitur; altera, quae effectum non sortitur.

Nota. Hic tamen notandum, voluntatem Dei in quantum respicit finem totius universi, qui est gloria Dei extrinseca, semper effectum sortiri; sed inefficacia habetur quandoque in finibus particularibus, quos Deus non absolute vult sed dependenter ab activitate causarum secundarum. In explicanda tamen efficacia vel inefficacia divinae voluntatis, praesertim cum agitur de causis secundis liberis, auctores in varias abeunt sententias.

d) A praecedenti divisione non multum differt haec alia, qua voluntas divina dividitur in absolutam et conditionatam, secundum quod aliquid vult, nulla conditione apposita, vel apposita aliqua conditione.

e) Distinguunt etiam voluntatem divinam in prosecutivam, aversativam, permissivam, qui termini satis per se intelliguntur.

7) Adversantur thesi maxime quoad partem, quae libertatem respicit:

a) Veteres fatalistae, qui censebant omnia ex fato fieri, cui etiam supremum numen subiectum faciebant.

b) Pantheistae, quorum *Absolutum* fatali necessitate in sua evolutione regitur.

c) Optimistae, qui, auctore Leibnitio, putant Deum semper facere, quod est optimum.

d) Inter adversarios recensendus est etiam Rosmini, qui videtur Deo tribuere tantum libertatem *spontaneitatis*, quae omni enti, etiam irrationali, convenire potest, et in eo consistit quod agens a nullo extrinseco impediatur in bono prosequendo, quod est suae naturali inclinationi conveniens.

8) Thesis tribus constat partibus:

1ª Est de voluntatis divinae realitate.

2ª De obiecto ipsius.

3ª De libertate divina.

I. P. Est in Deo voluntas perfectissima.

Prob. 1) *(Ex eo quod Deus est agens intellectivum).*

Agens intellectivum est voluntate praeditum.

Atqui Deus est agens intellectivum.

Ergo Deus est voluntate praeditus.

Maj. Intellectus non est efficax, nisi adsit voluntas.

Min. Ex praecedentibus.

2) *(Ex eo quod Deus est primum agens).*

Primum agens est voluntate praeditum.

Atqui Deus est primum agens.
Ergo Deus est voluntate praeditus.
Maj. Primum agens agit propter finem a se intentum.
Atqui intentio est actus voluntatis.
Ergo primum agens est voluntate praeditum.
Maj. Si ageret propter finem ab alio intentum, ab alio penderet in agendo, ideoque non esset primum agens.

3) *(Ex eo quod amor boni et delectatio est perfectio simplex).*
Omnis perfectio simplex Deo tribuenda est, et quidem formaliter et eminenter.
Atqui amor boni et delectatio est perfectio simplex.
Ergo amor et delectatio in bono sunt Deo tribuenda et quidem formaliter et eminenter.
Atqui amor et delectatio ad voluntatem pertinent.
Ergo in Deo est voluntas.
Decl. Amor et delectatio ratione sui nullam dicunt imperfectionem, sed vel ratione obiecti circa quod versantur, vel ratione subiecti in quo sunt.

Cor. In Deo voluntatem esse perfectissimam sequitur ex praecedentibus. Est ergo voluntas in Deo actus simplicissimus, infinitus, immutabilis, subsistens: Deus enim est suum velle, sicut est suum esse et intelligere.

II. P. 1) Obiectum formale et materiale primarium divinae voluntatis est divina bonitas.
Arg. Obiectum formale et materiale primarium divinae voluntatis est bonum, quod primo et per se diligitur a divina voluntate et ratione cuius cetera diliguntur.
Atqui huiusmodi nequit esse nisi divina bonitas.
Ergo divina bonitas et obiectum formale et materiale primarium divinae voluntatis.
Maj. Notio.
Min. Repugnat divinam voluntatem primo moveri, vel determinari, iuxta nostrum modum concipiendi, a bono sibi improportionato.

2) Obiectum materiale secundarium divinae voluntatis sunt alia praeter Deum.
Arg. Deum velle alia a se, patet, non enim essent, nisi Deus vellet ea esse.
Atqui non vult primario.
Ergo secundario.

Min. Nihil praeter Deum est Deo propter se appetibile, quae ratio est obiecti primarii; omnia enim in Deum diriguntur, sicut in finem ultimum; omniaque appetibilia sunt propter bonitatem divinam, quae in eis relucet.

III. P. 1) Deus diligit suam bonitatem necessario.

a) (Ex eo quod bonitas divina est obiectum formale et materiale primarium divinae voluntatis).

Nulla facultas est indifferens quoad suum obiectum formale et materiale primarium.

Atqui obiectum formale et materiale primarium divinae voluntatis est divina bonitas.

Ergo divina voluntas nequit esse indifferens quoad bonitatem divinam.

Maj. Non esset illa facultas.

Min. Ex praecedenti.

b) (Ex eo quod divina bonitas est obiectum necessarium divinae beatitudinis).

Voluntas divina necessario fertur in bonum, quod est obiectum necessarium divinae beatitudinis.

Atqui bonitas divina est huiusmodi.

Ergo voluntas dinina necessario fertur in bonitatem divinam.

Maj. Beatitudo est ratio omnis motus, ideoque *per se* et *necessario* appetitur.

Min. Deus est sua perfectio, ideoque sua beatitudo.

2) Deus diligit alia a se libere.

a) (Ex eo quod non sunt necessario connexa cum divina perfectione et beatitudine).

Deus non necessario vult ea, quae non sunt necessario connexa cum divina perfectione et beatitudine.

Atqui omnia existentia praeter Deum non sunt necessario connexa cum divina perfectione et beatitudine.

Ergo Deus non vult ea necessario, sed libere.

b) (Ex absurda sequela).

Si Deus vellet alia a se necessario, nihil possibile esset praeter ea, quae existunt.

Atqui falsum consequens.

Ergo et antecedens.

Maj. Intelligitur: possibilia enim sunt *aliquid* praeter Deum.

Min. Si nihil possibile esset praeter ea, quae existunt, potentia Dei esset limitata; ea enim quae existunt praeter

Deum limitatam perfectionem constituunt. Vel imitabilitas essentiae divinae exhauriri dicenda esset, si nihil, praeter ea quae existunt, esset possibile, quod dici nequit; nulla enim creatura, quantumvis perfecta sit, neque complexus ullus creaturarum reproducere potest totaliter perfectionem divinae essentiae.

Solvuntur difficultates.

Contra 1am **P.**

I. *In Deo non est voluntas.*

1) Voluntas est tendentia in finem.

Atqui Deo nullus assignari potest finis.

Ergo in Deo non est voluntas.

R. *a)* D. *Maj.* In finem seu bonum, vel acquirendum vel communicandum C. semper acquirendum Sbd. voluntas perfectissima N. imperfecta C.

D. *Min.* Finis acquirendus C. finis seu bonum communicandum N.

N. c.

Explico: Bonitas divina, non perficienda, sed communicanda, est ratio finalis omnium, quae Deus vult.

b) D. *Maj.* Voluntas, secundum quod dicit desiderium in bonum nondum possessum C. secundum quod dicit amorem et gaudium de bono possesso Sbd. est tendentia stricte sumpta N. late et improprie sumpta C.

D. *Min.* Finis seu causa finalis C. finis seu ratio finalis N. vel:

Finis, qui est bonum non possessum C. finis qui est bonum possessum N.

N. c.

2) Voluntas dicitur movens motum.

D. Cuius obiectum est extra subiectum C. cuius obiectum est ipsum subiectum, quod omnia possidet N.

II. *Saltem voluntas divina non est perfectissima.*

3) Voluntas divina non semper impletur.

D. Quoad finem universalem N. quoad fines particulares Sbd. voluntas absoluta N. conditionata Tr.

4) Voluntas Dei non est immutabilis.

D. Intrinsece N. extrinsece C.

Explico: Aliud est mutare voluntatem, aliud velle mutationes fieri in rebus.

5) Voluntas Dei ferri potest in malum.

D. Culpae N. poenae Sbd. per se N. per accidens C.

Contra 2am P.

1) In Deo velle est esse.

Atqui Deus nequit esse aliud a se.

Ergo nequit velle aliud a se.

D. *Maj.* Velle et esse sunt idem realiter in Deo C. formaliter Sbd. implicite C. explicite. N.

C. *Min.*

D. c. primario C. secundario N.

2) Qui vult aliquid, ab eo movetur.

D. Si eius velle ab eo causatur C. secus N.

3) Quod est sibi sufficiens, aliud non vult.

D. Non vult ut bonum sibi C. ut bonum aliis N.

4) Actus voluntatis multiplicatur ad multiplicationem volitorum.

D. Voluntatis finitae C. infinitae N. vel Sbd. multiplicatur terminative C. entitative N.

5) Deus non vult alia propter suam bonitatem, si haec illi nihil conferunt.

D. Si nihil conferunt neque intrinsece, neque extrinsece C. si nihil conferunt intrinsece, conferunt tamen extrinsece N.

Contra 3am P.

1) Quod est aeternum, est necessarium.

D. Absolute, vel ex suppositione C. absolute tantum N.

2) Deus vult alia eodem actu, quo vult suam bonitatem.

D. Qui tamen diverso modo respicit divinam bonitatem et alia, quae eam participant C. eodem modo utraque respicit N.

3) Si Deus non ex necessitate vult alia a se, potest ea non velle.

D. Posset velle Dei ea non respicere C. posset velle Dei a sua perfectione deficere N.

4) Qui suum velle mutare nequit, non est liber.

D. Si mutare nequit ex necessitate antecedenti C. si ex necessitate consequenti N. Ceterum difficultas falso supponit de ratione libertatis esse posse mutare propositum.

5) De ratione libertatis est electio.

Atqui Deus eligere nequit.

Ergo Deus non est liber.

D. *Maj.* Electio inter bonum et malum N. intra diversa bona C.

C. d. m.

N. C.

Explico: De ratione libertatis est dominium in proprios actus; quod autem hoc dominium exerceatur eligendo malum, non est perfectio, sed deficientia.

6) Libertas divina aut consistit in aliquo adaequate intrinseco, aut in aliquo adaequate extrinseco.

Atqui non 1um, quia quod est intrinsecum Deo, nequit esse indifferens.

Non 2um, secus libertas Dei esset mera denominatio extrinseca.

Ergo in Deo non est libertas.

R. Addo 3um: vel in aliquo intrinseco, quod sit entitative necessarium, terminative contingens.

Explico : Deum veri nominis libertate gaudere in suis operationibus ad extra, omnes admittunt, exceptis nominatis in statu quaestionis : constat enim tum ex notione libertatis, quae est perfectio simplex , tum ex notione Dei, qui, cum sit ens absolute perfectum et simpliciter infinitum, omnes perfectiones simplices possidet, formaliter et eminenter.

Difficultas tamen est in definienda vera ratione actus liberi divini ; cum enim liber dicatur actus, qui possit poni et non poni, si in aliquo intrinseco reponatur ratio liberi in Deo, videtur non salvari posse immutabilitas Dei ; si autem illa ratio in aliquo extrinseco reponatur, non videtur quomodo Deus dici possit vera libertate gaudere, cum libertas sit perfectio intrinseca voluntati.

Auctores hac difficultate pressi varias excogitarunt sententias, quarum hae sunt praecipuae :

a) Actus voluntatis divinae est liber metaphorice tantum. Ita nonnulli antiqui.

b) Actus voluntatis divinae constituitur liber per meram denominationem extrinsecam, in quantum nempe terminus potest esse vel non esse. Ita Vasquez, Aureolus, Maurus, qui tamen non eodem modo suam sententiam exponunt.

c) Actus voluntatis divinae constituitur liber per contingentem relationem rationis ad mundum. Ita videtur Bannez tenere.

d) Actus voluntatis divinae constituitur liber per aliquam perfectionem liberam, non quidem intensivam sed extensivam. Ita Caietanus.

e) Actus divinae voluntatis constituitur liber per aliquid intrinsecum, entitative necessarium, terminative contingens.

Haec ultima sententia nobis magis arridet ; ceterae enim, ut quis per se videre potest, vel salvant immutabilitatem Dei, sed non explicant satis divinam libertatem , vel viceversa explicant divinam libertatem, sed non salvant Dei immutabilitatem ; dum ultima videtur nobis melius utramque salvare et conciliare.

Actus liber enim considerari potest sub triplici respectu :

entitative, terminative, relative. Entitative est actus qui dicitur liber ; terminative est terminus, quem respicit actus ; relative est ipse respectus actus ad terminum.

Quod mutatio termini importet mutationem in voluntate, hoc est ex imperfectione voluntatis creatae, quae cum non sit suum velle, non potest suam activitatem exercere, nisi moveatur ab obiecto, quo mutato, mutatur etiam velle.

Sed hoc verificari nequit in voluntate divina, quae ab obiecto nullo modo movetur : ideoque potest et libere respicere obiectum, et immutata manere. (Cf. S. Thomam C. G. I. c. 82).

CAP. IV.

De operatione Dei ad extra.

THESIS XI.

Deus mundum, quem ex nihilo creavit, positive et immediate conservat, atque creaturas omnes, maxime hominem, providentia sua gubernat.

St. Q. 1) Sermo est in hac thesi de creatione, conservatione et providentia.

Creatio, active et proprio sensu accepta, est actio qua *res producitur ex nihilo sui et subiecti ;* vel *qua ens producitur secundum totam suam substantiam;* vel *qua ens producitur in quantum ens.*

Prima notio videtur communior, et in ea verba « *actio qua res producitur* » locum tenent generis proximi; reliqua « *ex nihilo sui et subiecti* » differentiae specificae locum tenent. Particula *ex* non denotat causam materialem, ut cum dicitur v. g. *Statua est ex marmore,* sed ordinem successionis, ut cum dicitur: *Ex ignorante factus est doctus.*

2) Creationem sequitur conservatio, quae dici solet continua creatio, non tamen sensu quo eam intellexit Bayle, qui putavit Deum singulis instantibus mundum annihilare et creare ; sed quatenus Deus eodem actu, quo voluit mundum esse, vult eum in esse pergere.

Conservatio itaque est actio, qua rei productae perseverantia in esse causatur. Distinguitur :

a) In negativam et positivam.

Negativa vel permissiva in eo consistit, quod causa conservans rem non destruit, cum eam destruere possit. Ita v. g. auctor conservat suum opus.

Positiva consistit in positivo influxu causae conservantis, et duplex rursus distinguitur, mediata et immediata.

b) Mediata vel indirecta est actio removens causas destructivas rei, quae conservatur, vel subministrans ea, quae sunt rei conservativa. Ita v. g. agricola conservat plantas eliminando erbas noxias vel insecta, quae plantas distruerent, vel subministrando aquam et alia, quae plantarum nutritioni inserviunt.

Immediata vel directa est actio producens ipsam perseverantiam in esse.

3) In tertia parte thesis agitur de Providentia, quae definitur: *ratio ordinis rerum in finem in mente Dei existens.* Executio huius ordinis dicitur Gubernatio, et consistit in eo, quod Deus in tempore res creatas, per fines proximos et intermedios, ad finem ultimum perducit. In hoc ergo Providentia distinguitur a Gubernatione, quod Providentia est aeterna et immediata; Gubernatio autem est temporanea et etiam mediata esse potest.

4) Thesi adversantur:

a) Agnostici, qui negant originem mundi posse cognosci.

b) Philosophi, inter quos Plato et Aristoteles, qui tenent Deum mundum ordinasse ex materia praeexistente, non enim valebant intelligere, quomodo aliquid produci potuisset ex nullo praesupposito subiecto.

c) Materialistae, qui docent mundum originem habuisse per evolutionem materiae aeternae.

d) Pantheistae, tum reales tum ideales, quibus mundus ortum habuit, vel per emanationem a divina substantia, vel per evolutionem realem ipsius divinae substantiae, vel evolutionem immanentem *Absoluti* cuiusdam.

e) Qui perversam notionem habent creationis, inter quos mentione digni sunt Cousin et Rosmini, quorum primus putavit res mundanas a Deo produci, sicut actus liberi producuntur a voluntate humana; alter autem originem rerum explicavit per synthesim *entis initialis* cum limitibus ipsius. Ens initiale autem producitur a Deo per abstractionem ex Verbo divino.

f) Deistae, qui concedunt mundum creatum esse a Deo, negant tamen mundum a Deo conservari positive et immediate, neque admittunt Deum de omnibus et singulis, etiam minimis, curam habere.

g) Quidam recentiores, qui volunt conservationem esse superfluam quoad substantias immateriales et materiam rerum corporearum.

h) Fatalistae, quibus accensendi sunt materialistae et

pantheistae, qui omnia fatali et caeca necessitate evenire contendunt.

5) Thesis tribus continetur partibus, quas omnes uti certas defendimus:

1ª de creatione.

2ª de conservatione.

3ª de providentia.

I. P. Mundum a Deo productum esse, constat ex argumentis adductis ad probandum Deum esse: iam vero Deus mundum produxit aut ex materia praeexistente, aut ex nulla materia praeexistente.

Atqui 1um repugnat.

Ergo 2um tenendum est.

Minor probatur ex eo quod materia, cum non habeat in se rationem sui esse, ab alio est, nempe a Deo. Quod constat:

a) (Ex eo quod repugnat praedicatum « Esse » convenire Deo et materiae secundum quod ipsi).

Cum praedicatum aliquod duobus convenit, impossibile est utrique convenire secundum quod ipsa, sed vel uni tantum, vel neutri: in 1° casu unum ab altero habet, quod sit; in 2° utrumque a tertio habent, quod sint.

Atqui praedicatum « *Esse* » convenit Deo et materiae.

Ergo impossibile est utrique convenire secundum quod ipsi, sed vel uni tantum, vel neutri.

Atqui ex alibi demonstratis scimus praedicatum « *Esse* » Deo convenire secundum quod ipse.

Ergo impossibile est illud convenire materiae secundum quod ipsa; ideoque a Deo materia habet, quod sit.

Maj. Rationalitas v. g. convenit homini secundum quod ipse, ideoque non convenit alii praeter hominem; rotunditas convenit circulo, secundum quod ipse, ideoque non convenit alii praeter circulum. Cum ergo *Esse* conveniat Deo secundum quod ipse, nequit alteri praeter Deum convenire secundum quod ipsum.

Obj. Ex dictis sequeretur, non esse aliud ens praeter Deum.

D. Aliud ens, cui *Esse* competat secundum quod ipsum C. aliud ens, cui *Esse* competat ab alio N.

b) (Ex eo quod materia habet esse *participatum et quasi diminutum).*

Impossibile est, ens, quod habet *esse* participatum et quasi diminutum, esse a se.

Atqui materia habet esse participatum et quasi diminutum.

Ergo impossibile est eam esse a se.

Maj. Constat ex dictis in argumento ex gradibus entium.

Min. Materia, qua talis, non est vivens, non est intelligens, non est simplex, non est immutabilis, pluribusque aliis modis essendi caret, ideoque *esse* habet participatum et quasi diminutum, ab alio ergo habet, seu ab ente, cuius *esse* est imparticipatum, nempe a Deo.

c) (Ex eo quod modi essendi materiae manifestant eam esse ens contingens).

Id, cuius modi essendi sunt contingentes, esse contingens habet.

Atqui materia est ens, cuius modi essendi sunt contingentes.

Ergo materia esse contingens habet.

Maj. Ex modis essendi ipsum esse arguitur; modi enim sunt veluti naturalis expressio ipsius esse.

Min. Quod modi essendi materiae sint contingentes, nemo negat, quodcumque sit systema, quod sectetur de natura corporea.

d) (Ex eo quod materia non est purus actus).

Quod non est purus actus, non est a se.

Atqui materia non est purus actus.

Ergo materia non est a se.

Maj. A se est ens, cuius essentia est esse, ideoque est totus et solus actus.

Min. Materiam esse essentialiter in potentia, omnes rursus concedunt, quaecumque sit doctrina eorum de constitutione naturae corporeae; est enim materia indifferens ad quodcumque corpus constituendum; est divisibilis, mensurabilis etc.

Prob. eadem propositio ex Dei consideratione.

Deus cum sit absolute independens in essendo, absolute independens est etiam in operando.

Atqui non esset, si mundus produxisset ex materia praeexistente.

Ergo Deus mundum non produxit ex materia praeexistente.

Maj. Modus operandi sequitur modum essendi.

Sed dicet quispiam: argumentum supponit creationem esse intrinsece possibilem, quod non est evidens.

R. Prob. Creatio intrinsece repugnaret, si produci ex praesupposito subiecto esset de ratione productionis *ut sic.*

Atqui non est.

Ergo creatio intrinsece non repugnat.

Maj. Intelligitur per se.

Min. De ratione productionis *ut sic* est, ut res, quae non erat, adducatur ad esse; fieri dependenter a subiecto autem non est de ratione productionis *ut sit,* sed vel de ratione rei, quae producitur, sic v. g. formae, sive substantiales non substentes, sive accidentales, fieri debent dependenter a materia, ex cuius potentia educuntur; vel ratione agentis, quod rem producit, quodque, cum sit virtutis finitae, non potest aliquid producere , nisi applicando suam virtutem subiecto praesupposito.

II. P.

1) Deus mundum conservat:

a) (Ex eo quod, tamdiu durat influxus causae primae, quamdiu durat eius effectus proprius).

Tamdiu durat influxus causae primae, quamdiu durat eius effectus proprius.

Atqui effectus proprius causae primae est *Esse.*

Ergo tamdiu durat influxus causae primae, quamdiu durat *Esse.*

Maj. Per se intelligitur: sicut v. g. *fieri* cessat cessante influxu causae *fiendi,* ita *esse* cessaret, si cessaret influxus causae *essendi,* qui Deus est.

Min. Effectus universalissimus est proprius effectus causae universalissimae.

Atqui *Esse* est effectus universalissimus.

Ergo *Esse* est effectus proprius causae universalissimae, qui est Deus.

b) (Ex mundi contingentia).

Ens contingens, sicut insufficiens est per se, ut primo sit, ita per se insufficiens est, ut in esse permaneat.

Atqui mundus est ens contingens.

Ergo mundus sicut insufficiens est per se, ut primo sit, ita est per se insufficiens, ut in esse permaneat.

Maj. Ens contingens, sicut per se indifferens est ad esse et non esse, ita indifferens est per se ad permanendum vel non permanendum in esse, ideoque, sicut ab alio habet ut sit, ita ab alio habet ut in esse permaneat. Neque dici potest ens aliquod contingens fieri absolute necessarium ex eo quod de facto existat; sequeretur enim Deum non posse ens illud annihilare, si vellet, quia eius perseverantia in essendo non penderet amplius a divina voluntate.

2) Deus mundum conservat positive.

a) (Ex eo quod Deus mundum conservat eodem actu, quo primo creavit).

Deus mundum conservat eodem actu, quo primo creavit.

Atqui creavit actu positivo suae voluntatis.

Ergo conservat actu positivo suae voluntatis.

Mj. Esse, quo res perseverat, non differt realiter ab *Esse*, quo res primo est; ideoque neque actus, qui causa est ut perseverat, differt realiter ab actu, qui causat primo esse.

b) (Ex eo quod repugnat annihilatio per actum positivum).

Cum conservatio opponatur annihilationi, si Deus mundum negative conservaret, deberet illum positive annihilare, si vellet.

Atqui repugnat consequens.

Ergo et antecedens.

Maj. Intelligitur: effectus oppositi requirunt oppositum modum eos producendi.

Min. Terminus annihilationis est nihil.

Atqui repugnat nihil esse terminum influxus positivi.

Ergo repugnat annihilationem fieri per influxum positivum, ideoque fit per influxum negativum, seu per subtractionem influxus.

3) Deus mundum immediate conservat.

(Ex eo quod actio Dei ipsam perseverantiam in essendo causat).

Influxus Dei ipsam perseverantiam mundi in essendo causat.

Atqui haec est conservatio immediata et directa.

Ergo Deus mundum immediate et directe conservat.

Maj. Ex dictis: effectus enim proprius actionis divinae est *ratio essendi*, quae vel primo habetur, vel habita perseverat.

Min. Est notio.

III. P. 1) Est in Deo providentia.

(Ex eo quod in agente per intellectum est ratio ordinis eorum quae facit vel facturus est).

In agente per intellectum praeexistit ratio ordinis eorum, quae facit, vel facturus est.

Atqui Deus est agens per intellectum.

Ergo in Deo praeexistit ratio ordinis eorum, quae facit, vel facturus est.

Atqui huiusmodi ratio dicitur providentia.

Ergo in Deo est providentia.

Maj. Agens intellectivum non casu agit, sed ex cognitione finis et mediorum ad finem.

2) Et gubernatio.

Gubernatio in eo consistit, quod res creatae, per fines proximos et intermedios, in finem ultimum diriguntur.

Atqui hoc verificatur de Deo relate ad mundum.

Ergo in Deo est gubernatio.

Maj. Est notio.

Min. Constat ex ordine, qui in mundo viget, non solum physice, sed etiam moraliter et polytice inspecto.

3) De omnibus et singulis, etiam minimis.

(Ex eo quod providentia Deo competit ratione creationis).

Providentia et gubernatio complectitur omnia, quae a Deo creata sunt.

Atqui a Deo creata sunt omnia et singula, etiam minima.

Ergo providentia et gubernatio complectitur omnia et singula, etiam minima.

Min. Etiam minima sunt propter aliquem finem et suo modo concurrunt ad finem totalem universi.

4) Maxime hominis.

(Ex eo quod cura sapientis provisoris accommodatur dignitati et nobilitati eorum, quibus providetur).

Cura sapientis provisoris accommodatur dignitati et nobilitati eorum, quibus providetur.

Atqui Deus est provisor sapientissimus.

Ergo eius cura accommodatur dignitati et nobilitati eorum, quibus Ipse providet.

Atqui omnium creaturarum huius mundi nobilissima est homo.

Ergo Deus curam habet de homine prae ceteris creaturis huius mundi.

Nota. Quod providentia sit immediata, gubernatio autem etiam mediata, non est cur probetur, res enim est evidentissima.

Solvuntur difficultates.

Contra 1am **P.**

1) Ex nihilo nihil fit.

D. Ex nihilo essentiae C. existentiae Sbd. sui N. subiecti Iter. d. ab agente finito C. infinito Iter. sbd. sumpto *ex nihilo* pro *ex non aliquo* C. pro *non ex aliquo* N.

Explico: Ex denotat ordinem successionis, non causam materialem; vel si causam materialem, haec non affirmatur, sed excluditur.

2) Omnis productio est mutatio.

Atqui omnis mutatio supponit subiectum.

Ergo omnis productio supponit subiectum.

D. *Maj.* Mutatio propria vel impropria C. propria tantum Sbd. productio *ut sic* N. productio *talis* vel *talis* entis C.

Cdm. Mutatio propria C. impropria N.

D. p. c. Productio *est sic* N. *talis* vel *talis* entis C.

3) Omnis productio est quaedam successio.

Atqui successio importat mutationem propriam.

Ergo omnis productio importat mutationem propriam.

D. *Maj.* Productio rei secundum totam substantiam N. non secundum totam substantiam C.

D. *Min.* Successio, cuius termini sunt omnes reales C. cuius termini non sunt omnes reales N.

D. p. c. Productio rei secundum totam substantiam N. productio rei non secundum totam substantiam. C.

4) In mundi prima productione distingui potest instans, in quo mundus nondum erat, et instans in quo incepit esse.

D. Quae duo instantia sunt ambo realia N. unum tantum reale, nempe in quo mundus incepit esse C.

5) Possibile non est nihil.

Atqui mundus actualis factus est ex possibili.

Ergo non ex nihilo.

D. *Maj.* Non est nihil *simpliciter*, nempe essentiae C. non est nihil *secundum quid*, nempe existentiae N.

D. *Min.* Erat in potentia obiectiva C. subiectiva N.

D. c. Factus est non ex nihilo *simpliciter*, nempe essentiae C. non ex nihilo *secundum quid*, nempe existentiae N.

6) Materia est ingenerabilis et indestructibilis.

D. *a)* Ingenerabilis, h. e. non est producta, neque produci potest per generationem C. non est producta per creationem N.

b) Indestructibilis, h. e. annihilari nequit per virtutem finitam C. infinitam N.

7) Repugnat formas creari.

D. Formas subsistentes N. non subsistentes Sbd. creari per se C. per accidens N.

8) Creatio est inintelligibilis.

D. De ea non habemus phantasma C. conceptum N.

9) *Nihil* concipi nequit.

D. Directe C. indirecte N.

10) Propositio enuntians *aliquando nihil fuisse* est absurda.

D. Si enuntiat nihil *omnino* fuisse C. si enuntiat olim *praeter Deum* nihil fuisse N.

Explico : Potest mens praescindere ab actuali rerum existentia, et omnia *praeter Deum* concipere ut possibilia.

11) *Fieri* est quidam motus.

D. *Fieri* quod non idem est ac *factum est* C. quod idem est ac *factum est* Sbd. motus improprie sumptus C. proprie N.

Contra 2am **P.**

1) Saepe videmus, cessante actione causae efficientis, effectum permanere.

D. Cessante actione causae *essendi* N. *fiendi* Sbd. *fieri* permanet N. *esse* C.

2) Agentia naturalia causant formam ; forma autem *esse* confert.

D. *a)* Agentia naturalia causant formam subsistentem N. non subsistentem Sbd. quoad fieri C. quoad esse Iter. d. stricte N. late, in quantum *fieri* est ad *esse* C.

b) Forma confert esse simpliciter N. in suo ordine C.

3) Res permanet in esse *simpliciter* per suam formam.

D. Forma est causa formalis essendi rei C. causa efficiens essendi rei N.

Explico : In hoc homine v. g. distingui potest duplex ratio : *Esse*, et *esse hunc hominem ;* esse *hunc hominem* habet a forma ; sed *esse* non habet a forma, cum et ipsa non sit suum esse.

4) Res in esse perdurat, quamdiu perdurant eius principia constituentia.

D. Quae et ipsa indigent a Deo conservari C. non indigent. N.

5) Perfectum non indiget, ut ab alio conservetur in esse.

D. Si ita perfectum est, ut ab alio non pendeat in esse C. si pendet N.

6) Quod est incorruptibile desinere nequit.

D. Per corruptionem proprie dictam C. improprie dictam, seu per annihilationem N.

7) Res natura sua conservantur, si natura sua tendunt ad esse.

D. Si tendunt, seclusa Dei conservatione C. secus N.

8) Spiritus finitus est immortalis.

D. Immortalitate naturali C, essentiali N,

9) Quod potest producere, potest conservare.

D. Si est causa essendi C. si est fiendi Sbd. potest conservare indirecte C. directe N.

10) Mundus in nihilum abire non posset, nisi Deus *vellet* eum non esse.

Atqui *velle* mundum non esse, est quid positivum.

Ergo mundus in nihilum abire non posset nisi per actum positivum.

D. *Maj.* Ad quod *velle* sequeretur positivus influxus N. suspensio influxus C.

Cdm. Est positivum *ipsum velle* Dei C. influxus qui sequeretur. N.

N. c.

Contra 3am **P.**

1) Si Deus mundum regeret, nihil casu fieret.

D. Respectu Dei C. respectu nostri Sbd. si omnia essent nobis nuda et aperta C. secus N.

Explico: Multa videntur nobis casualia, quae sunt a Deo ordinata. Sic v. g. si dominus quidam, volens duos servos suos in aliquem locum convenire, mitteret eos per diversas vias, quae, ipsis insciis, in illum locum ducant, conventus esset casualis respectu servorum, sed non respectu domini.

2) Si Deus omnia regeret, nihil a fine proprio descisceret.

D. Quae sunt intrinsece determinata ad unum C. quae sunt libertate donata Sbd. a fine universali C. particulari N.

3) Si Deus omnia regeret, mala non fierent in mundo.

D. Si huiusmodi mala finem universi impedirent C. si non impediunt, sed potius promovent. N.

Explico: Mala, alia sunt physica vel poenae, alia sunt moralia vel culpae. Utrumque promovent finem universi, qui est ostensio divinorum attributorum. Et revera mala physica magnificant divinam potentiam, quae ex malo oriri facit bonum; mala moralia ostendunt divinam sanctitatem, quae peccatum odio habet, divinam misericordiam in parcendo peccatoribus, divinam iustitiam in peccatoribus obstinatis puniendis.

Praeterea sapiens gubernatio requirit, ut res gubernentur modo convenienti naturae cuiusque; iam vero plura sunt, quorum natura malum pati potest, quod si impediretur, illorum natura non servaretur.

Insuper plura sunt bona, quae evenire non possunt nisi cum detrimento aliorum, quod, si impediretur, illa bona non sequerentur. Si v. g. corruptio unius est generatio alterius; occisio quorundum animalium est ad nutrimentum ceterorum; persecutiones sunt ad virtutem bonorum exercendam.

Denique mala quae eveniunt, bona magis exaltant, quorum sunt privationes.

4) Si Deus mundum regeret, infinitis curis distenteretur, quae eum infelicem redderent.

D. Si capax esset defatigationis et taedio C. si non est N.

5) Dedecet divinam maiestatem de minimis curare.

D. Si eadem ratione curaret ac maxima C. secus N.

6) Si Deus omnia regeret, superflua esset hominis solicitudo.

D. Nimia C. moderata Sbd. si haec a divina providentia excluderetur C. secus N.

7) Si Deus omnia regeret, bona et mala huius mundi aequa ratione distribuerentur.

D. Si homo haberet hic manentem civitatem Tr. secus N.

Explico: a) Falsum est homestos homines *semper* poenis affligi, scelestos autem *semper* deliciis affluere.

b) Honesti, quamvis bonis externis non affluant, pace interna saepe fruuntur, quae est maximum huius vitae bonum; dum perversi homines saepissime internis cruciatibus affliguntur.

c) Huius vitae angustiae maxime inserviunt ad exilium nostrum cognoscendum, et cor sursum elevatum habendum.

d) Boni non ita sunt perfecti, ut aliquid mali quandoque non faciant; neque peversi tam perversi, ut boni aliquid aliquando non faciant: Deus ergo in praesenti vita bonos affligit, malis bona rependit, ut quod revera merentur, in altera vita conferat eis.

8) Saltem divinam dedecet providentiam, ut quidam ita in malo abdurescant, ut in aeternum tandem damnentur.

D. Dedecet divinam providentiam improbis auxilia sufficientia denegare Tr. Dedecet divinam providentiam improbos in aeternum damnare, eo quod illi, spretis auxiliis sufficientibus, sponte sua in peccatis inveterantur, et usque ad mortem impenitentes permanent N.

Schol. I. 1) Utrum solius Dei sit creare.

R. affirmative.

Prob. *a) (Ex eo quod creare est producere ens in quantum ens),*

Creare est producere ens in quantum ens.

Atqui solius Dei est producere ens in quantum ens.

Ergo solius Dei est creare.

Maj. Est notio.

Min. Ens qua *ens* est effectus universalissimus.

Atqui effectus universalissimus a sola causa universalissima produci potest, qui est Deus.

Ergo *ens* qua *ens* a sola causa universalissima produci potest, qui est Deus.

b) (Ex eo quod in creatione requiritur virtus agentis infinita).

In creatione requiritur virtus infinita.

Atqui solius Dei virtus est infinita.

Ergo solius Dei propria est creatio.

Maj. Eo maior virtus in agente requiritur, quo magis res producenda ab actu est remota.

Atqui in creatione res producenda est ab actu infinite remota; est enim ex nihilo sui et subiecti.

Ergo in creatione virtus requiritur infinita.

2) Utrum causa secunda instrumentaliter agere possit in creatione.

R. Negative.

Prob. *(Ex eo quod in creatione nihil disponendum praesupponitur).*

Causa instrumentalis non participat actionem causae superioris, nisi in quantum per aliquid sibi proprium *dispositive* operatur ad effectum principalis.

Atqui in creatione nihil disponendum praesupponitur ad recipiendam actionem principalis agentis.

Ergo in creatione nulla est causa instrumentalis.

Maj. Ad diversas productiones adhibentur diversa instrumenta, quia per formam sibi propriam efficiunt, ut subiectum recipiat actionem principalis agentis.

Min. In creatione producitur id quod in omni alia productione supponitur, seu ipsum subiectum, ideoque non ex alio praesupposito producitur.

Schol. II. Utrum creatio active sumpta sit actio transiens vel immanens.

Actio immanens est, cuius terminus est intra subiectum; v. g. Intellectio, volitio, sensatio.

Actio transiens est, cuius terminus est extra subiectum; v. g. Calefacere, percutere, fodere.

Formaliter immanens est actio, quae tota absolvitur intra subiectum, ideoque est perfectio ipsius subiecti, a quo procedit.

Formaliter transiens est actio, quae principiative est perfectio agentis, sed terminative tota absolvitur extra subiectum, ideoque est perfectio subiecti extrinseci.

Formaliter immanens et *virtualiter* transiens est actio, quae tota absolvitur intra subiectum, sed est talis efficacitatis, ut ponat terminum extra subiectum.

Ad actionem creativam quod spectat, dantur plures opinio-

nes ; nobis videtur praeferenda quae tenet, creationèm esse actionem formaliter immanentem, virtualiter transeuntem.

Prob. 1) Formaliter immanens.

(*Ex eo quod in Deo creare est velle*).

In Deo creare est velle.

Atqui velle est actio formaliter immanens.

Ergo in Deo creare est actio formaliter immanens.

Maj. Actio, quae aliquid producit non per applicationem virtutis agentis ad subiectum praesuppositum, sola voluntate completur.

Atqui creatio est talis actio.

Ergo creatio sola voluntate completur.

Confirmatur. Causa 2ª non potest sola voluntate producere quia eius virtus applicanda est subiecto praesupposito.

2) Virtualiter transiens.

Prob. Actio quae, quamvis sit formaliter immanens, est tamen tantae efficacitatis, ut ponat terminum extra subiectum, est virtualiter, seu aequivalenter transiens.

Atqui creatio est talis actio.

Ergo creatio est virtualiter transiens.

3) Quid creatio passive sumpta ?

R. Est relatio creaturae ad Creatorem, et quidem relatio:

a) Realis ex parte creaturae, logica ex parte Creatoris.

b) Relatio dependentiae cum nevitate essendi.

c) Relatio cuius fundamentum est ipsum *esse* creaturae a Creatore acceptum.

d) Relatio trascendentalis, nempe essentialis.

Schol. III. De necessitate creationis ab aeterno.

1) Non probatur.

Arg. Huiusmodi necessitas repetenda esset vel ex parte Dei, vel ex parte mundi, vel ex parte ipsius creationis.

Atqui non 1um, quia Deus mundum libere creavit; non 2um, quia mundus, cum non exigat esse, multo minus exigit esse ab aeterno; non 3um, quia creatio active tota absolvitur in ipso Deo, et quidem ab aeterno, passive autem vel terminative, exigit quidem habere aliquando terminum, sed non exigit illum esse ab aeterno.

Ergo necessitas aeternae creationis non probatur.

2) Sed neque probatur repugnantia.

Arg. Repugnantia repetenda esset vel ex parte Dei, vel ex parte mundi.

Atqui non 1um, quia Deus ab aeterno potest mundum creare.

Non 2um, quia mundus ab aeterno potest creari.

Ergo repugnantia aeternae creationis non probatur.

Declar. Intrinseca rerum possibilitas ab earum existentia non pendet.

THESIS XII.

Deus ad omnes actiones et effectus creaturarum concurrit; attamen non eas physice praedeterminando, sed cum eis simul operando.

St. Q. 1) Concursus divinus est influxus Dei in actiones et effectus causarum secundarum.

2) Est:

a) Generalis et specialis.

Generalis vel naturalis Deo competit ut est auctor naturae et provisor universalis, et respicit actiones et effectus creaturarum in ordine naturali.

Specialis vel supernaturalis Deo competit ut est auctor ordinis supernaturalis, et respicit actiones et effectus, quae in eodem ordine a causis secundis producuntur.

b) Praevius et simultaneus.

Praevius influit in ipsam determinationem causae secundae.

Simultaneus attingit immediate actionem et effectum, quae ex determinatione causae 2ae procedunt.

c) Moralis et physicus.

Moralis influit in motionem causae 2ae liberae imperio, minis, consilio et similibus.

Physicus influit producendo cum causa 2a eandem actionem eundemque effectum.

d) Praedeterminans et indifferens.

Praedeterminans ita influit in ipsam motionem causae 2ae, ut hanc intrinsece determinet ad unum.

Indifferens ita influit in motionem causae 2ae, ut haec, vi huius motionis, non sit intrinsece determinata ad unum.

Ut patet, concursus tum moralis, tum physice praedeterminans, est mediatus, influit enim in ipsam determinationem causae 2ae, et hac mediante, influit in actionem et effectum. Simultaneus autem est simul physicus et immediatus, influit enim directe in actionem et effectum causae 2ae.

e) Distinguunt etiam concursum in oblatum seu in actu 1°, et collatum seu in actu 2°.

Oblatus est, quo Deus ab aeterno decrevit se concurrere cum causis 2dis in earum actionibus et effectibus producendis.

Hic concursus non determinat causam 2am, sed potius quoad speciem et existentiam actus, ad modum tamen conditionis extrinsecae, determinatur a causa 2ª.

Collatus est, quo Deus in tempore exequitur, quod ab aeterno decrevit, de facto concurrendo cum causa 2ª, in hac vel illa actione et effectu producendis.

Quoad causas 2as necessarias concursus oblatus est unus, determinatus, absolutus, neque differt a concursu collato.

Cum vero agitur de causis 2is liberis, concursus oblatus est multiplex, indifferens, hypotheticus, seu oblatus sub conditione quod creatura velit agere, et differt a collato, qui est determinatus, et confertur dependenter a praevisione per scientiam mediam determinationis causae liberae.

3) Ut causa 2ª, sive necessaria sive libera, actu agat, debet esse proxime expedita ad agendum, constituta in actu 1° proximo, ut aiunt. Ad hoc requiri, ut Deus creaturis conferat vires idoneas ad agendum easque conservet, dum agunt, atque cum eis simul agat, communiter admittitur. Sed fit insuper quaestio, utrum praeter dicta requisita, requiratur ex parte Dei alia motio, vi cuius causa 2ª, iam proxime expedita ad agendum, de facto agat.

Nos respondemus negative, propter rationes infra adducendas.

Alii, duce Bannez, tenent requiri illam motionem ex parte Dei, vi cuius causa 2ª, etiam libera, iam proxime expedita ad agendum, infallibiliter agat.

Haec motio, cum sit praevia motioni causae 2ae, dicitur praemotio, et cum sit physica, et intrinsece determinans causam 2am, etiam liberam, ad unum, dici solet etiam praedeterminatio physica.

4) Huiusmodi praedeterminatio est absolute necessaria, ita ut, sicut sine ea metaphysice repugnet causam 2am, etiam liberam, et proxime expeditam ad agendum, quidquam agere; ita est metaphysice impossibile, ut cum eadem causa 2ª, etiam libera, non agat, et quidem illud determinatum opus, ad quod intrinsece praedeterminatur.

Praeterea, cum causa 2ª sit omnino impotens, quamvis proxime expedita ad agendum, ad quidquam efficiendum, efficere nequit, ut a Deo praedeterminetur ad hoc vel aliud opus; sed a sola libera Dei voluntate pendet cum praedeterminare ad hoc vel aliud perficiendum.

Hanc sententiam reiicimus ob rationes infra pariter adducendas.

5) Adversantur thesi:

a) Qui negant divinum concursum quoad omnes actus, ut sunt Pelagiani, Aureolus, Durandus.

b) Qui excludunt e concursu actus peccaminosos, ut Praepositinus.

c) vel actus liberos, ut Ludovicus a Dola.

d) Qui defendunt physicam praedeterminationem, ut omnes sequaces Bannez.

e) Occasionalistae, qui causis 2is omnem activitatem adimunt, et tenent Deum omnia facere in omnibus, occasione accepta a creaturis.

6) Thesis habet duas partes:

1ª statuit concursum divinum;

2ª excludit praedeterminationem physicam.

I. P. Deus ad omnes actiones et effectus creaturarum concurrit physice et immediate.

Prob. *a) (Ex eo quod omnes creaturae physice et immediate a Deo pendent in agendo).*

Creaturae physice et immediate a Deo pendent in agendo.

Atqui agere duo importat, actionem nempe et effectum.

Ergo omnis actio et effectus creaturarum a Deo physice et immediate dependet.

Maj. Modus operandi sequitur modum essendi, sicut operari sequitur esse.

Atqui creaturae physice et immediate a Deo dependent quoad esse, ut superius probatum est.

Ergo creaturae physice et immediate a Deo dependent quoad operari.

b) (Ex eo quod ipsum το *fieri participat de ratione essendi).*

Quidquid participat de ratione essendi, a Deo physice et immediate dependet.

Atqui το *fieri* participat de ratione essendi, non enim est nihil.

Ergo το *fieri* a Deo physice et immediate dependet.

Maj. Deus est causa essendi.

Min. Intelligitur; id enim *quod* fit, dum fit, non est, sed ipsum το *fieri* est.

Cor. Ergo concursus divinus est simultaneus, secus enim aliquid mediaret inter causam 2am proxime expeditam ad a-

gendum et ipsum agere causae 2ae, et ideo non esset concursus immediatus.

Nota : Haec pars, in quantum non est esclusiva, admittitur etiam a praedeterminatoribus.

II. P. Excluditur praedeterminatio physica.

1) *(Ex eo quod non est necessaria).*

Praedeterminatio physica ab eius fautoribus intenditur:

a) Propter absolutam dependentiam causae 2ae a causa prima.

b) Propter indeterminationem causae 2ae ad agendum.

c) Propter potentialitatem et contingentiam ipsius causae 2ae, qui fit ut a seipsa prosilire nequeat in actum.

Atqui haec omnia optime explicantur per concursum simultaneum, quin recursus fiat ad physicam praedeterminationem.

Ergo physica praedeterminatio non est necessaria.

Maj. Conceditur : illae enim sunt praecipuae rationes, quae afferuntur.

Min. Sine concursu simultaneo:

a) causa 2a non potest agere,

b) non potest sese determinare,

c) consequenter non potest sese actuare,

d) neque non contingenter agere.

Ergo concursus simultaneus sufficiens est ad omnia explicanda, ad quae praedeterminatores exigunt physicam praedeterminationem.

Cor. *a*) Nemo non videt, concursum causae 1ae, etiam simultaneum, longe eminentiorem esse, quam concursum causae 2ae, et longe profundius attingere actionem et effectum causae 2ae, quam ipsam causam 2am, et optime etiam intelligi per solum concursum simultaneum phrases communes apud doctores : Creaturas nempe agere *in virtute* causae 1ae; et a causa prima *applicari ad agendum.*

b) Praeterea nemo non videt hic nihil derogari dignitati causae 1ae, cum sese accommodet ordini ab ea ipsa statuto. Et sic diluuntur ceteri praetextus, ob quos praedeterminatores requirunt physicam praedeterminationem.

2) *(Ex eo quod praedeterminatores gratis, imo falso supponunt id, ob quod physicam praedeterminationem requirunt).*

Fautores physicae praedeterminationis supponunt, inter causam 2am iam proxime expeditam ad agendum et ipsum eius *agere* aliquid reale mediare.

Atqui nihil mediat, secus enim causa secunda, quae sup-

ponitur proxime expedita ad agendum, non esset proxime expedita ad agendum.

Ergo id, ob quod praedeterminatores physicam praedeterminationem exigunt, non datur.

3) *(Ex eo quod praedeterminatio physica non videtur bene componi cum libertate humana).*

Quod est intrinsece determinatum ad unum, non est liberum.

Atqui, posita physica praedeterminatione, voluntas humana est intrinsece determinata ad unum.

Ergo, posita physica praedeterminatione, voluntas humana non est libera.

Maj. Libertatem omnes intelligunt indifferentiam activam ad agendum vel non agendum, ad agendum hoc vel illud, hoc vel contrarium, positis tamen omnibus ad agendum requisitis.

Min. Est doctrina adversariorum.

Praecluduntur effugia, quibus praedeterminatores conantur evadere vim argumenti.

Dicunt:

a) Posita physica praedeterminatione, actum sequi necessario, sed necessitate consequenti.

D. Consequenti respectu voluntatis divinae C. humanae N.

Praedeterminatio enim antecedit determinationem voluntatis humanae.

b) Posita physica praedeterminatione, voluntas non est libera sensu composito, sed est sensu diviso.

R. α) Iuxta doctrinam Ecclesiae voluntas humana libera est, posita quavis motione ex parte Dei.

β) Valeret assertum, si in potestate voluntatis esset efficere aliquo modo, ut a Deo determinetur hoc vel alio sensu; sicut in sententia nostra, posita determinatione voluntatis, haec *non potest non eligere* aliquid, sed haec, ut patet, est vera necessitas *consequentiae*, et valet distinctio sensus compositi et sensus divisi, quia in potestate voluntatis erat sese determinare.

c) Posita physica praedeterminatione, adhuc manet iudicium de obiecto indifferenti, in quo radicatur libertas.

R. D. Radicatur, sed non in eo formaliter consistit C. consistit N.

Libertas ab omnibus intelligitur activa indifferentia voluntatis ad utramque partem contradictionis, et hoc posita quavis motione ab extrinseco.

4) *(Reicitur physica praedeterminatio ex eo, quod non apparet quomodo actio peccaminosa sit imputabilis homini physice praedeterminato).*

Non est imputabilis homini actio, quam non est in eius potestate omittere.

Atqui, posita physica praedeterminatione, non est in potestate hominis actionem peccaminosam omittere.

Ergo, posita physica praedeterminatione, actio peccaminosa non est imputabilis homini.

Praecluduntur effugia :

a) Dicunt, Deum praedeterminare ad actionem peccaminosam, non qua peccaminosa est, sed qua actio est.

R. Hoc valeret, si determinatio vel specificatio actionis esset a voluntate ; sed iuxta praedeterminatores voluntas est omnino incapax ad quidquam faciendum absque praevia determinatione ad determinatum actum, ideoque et actus et specificatio actus est a praedeterminatione physica.

Hoc non verificari in sententia nostra patet: iuxta hanc sententiam enim determinatio vel specificatio actus a voluntate pendet, iam proxime expedita ad agendum.

b) Afferunt exemplum de tibia claudicante, sed exemplum hoc nullo modo favet praedeterminatoribus ; iuxta eorum sententiam enim et motus et claudicatio est a physica praedeterminatione, cum voluntas nullo modo possit sese disponere, neque bene, neque male. Valde ergo miramur, quod ad eludendam vim argumenti fiat recursus ad perseveras dispositiones voluntatis : undenam, quaeso, hae dispositiones ? Quomodo praedeterminatores cohaerent sibi, cum antea posuerint, causam 2am nullo modo determinare vel specificare posse concursum divinum ?

Nota. Physica praedeterminatio, sicut valde periculosa fuit temporibus illis, quibus agitabantur quaestiones de auxiliis, propter haeresim calvinianam, quae negabat libertatem humanam ; ita valde periculosa est temporibus nostris propter errorem *Determinismi* tam late diffusum.

Solvuntur difficultates.

Contra 1am **P.**

1) Deus non concurrit ad causalitatem materiae et formae.

D. Per modum causae materialis vel formalis C. per modum causae efficientis N.

2) Causa secunda sufficientem virtutem habet ad agendum.

D. In suo ordine C. in omni ordine N.

Explico: Causa 2ª nequit effectum productionis et ipsam productionem attingere sub ratione *entis ut sic.*

3) Causa 2ª est causa efficiens principalis proprii effectus.

D. Ideoque non indiget influxu alterius causae eiusdem ordinis ad eum producendum C. non indiget influxu causae 1ae N.

4) Effectus producendus non excedit efficientiam causae 2ae.

D. Cum omnia requisita ad agendum concurrunt C. secus N.

5)Repugnat eandem numero actionem a duabus causis produci.

D. A duabus causis eiusdem ordinis C. diversi et subordinatis Sbd. repugnat eandem numero actionem sub eodem respectu a duabus causis produci C. sub diverso respectu. N.

6) Repugnat actionem creaturae esse actionem Dei.

D. Entitative C. terminative N.

7) Repugnat eandem numero actionem esse partim a creatura, partim a Deo.

D. Partialitate effectus C. causae N.

8) Si actio creaturae est tota a Deo, Deus dicendus est auctor peccati.

D. Si tota a Deo est physice inspecta N. si moraliter inspecta Sbd. si Deus plus quam permissive se habet C. si permissive tantum N.

9) Repugnat actionem vitalem esse a principio extrinseco.

D. A principio extrinseco, respectu cuius est vitalis C. respectu cuius non est vitalis N.

10) Repugnat eandem numero actionem esse vitalem et non vitalem.

D. Respectu eiusdem principii elicientis eam C. respectu duplicis principii, quorum unum est eliciens, alterum concurrens N.

Decl. Etiam obiectum extrinsecum concurrit ad cognitionem, et tamen cognitio est actio vitalis, quia terminus productionis est in ipsa facultate a qua procedit actio.

11) Si Deus influeret in omnem actionem causae 2ae, haec vera activitate privaretur.

D. Si influeret ut causa unica C. si ut causa 1ª N.

Contra 2am **P.**

1) Causa 2ª non agit nisi mota a causa 1ª.

D. In quantum ab ea constituitur idonea ad agendum C. in quantum ab ea insuper praemoveatur N.

2) Motio causae 1ae praecedit motionem causa 2ae.

D. Motio qua causa 2ª a 1ª constituitur proxime expedita ad agendum C. qua actu agit Sbd. praecedit natura N. digni-

tate, necessitate, ita ut causa 2ª nequeat agere, nisi Deus simul concurrat C.

3) Causa 2ª non agit nisi applicetur a causa 1ª.

D. Nisi causa 1ª eam constituat proxime expeditam ad agendum, et cum ea simul agat C. nisi insuper eam praemoveat N.

4) Causa 2ª est instrumentum relate ad 1am.

D. Instrumentum proprie dictum N. improprie dictum C.

Explico: Instrumentum proprie dictum est, quod per formam sibi propriam concurrit ad actionem et effectum principalis agentis, ita tamen ut effectus assimiletur non formae instrumenti, sed formae principalis agentis. Hoc non verificatur de agentibus naturalibus relate ad Deum.

5) Quod est indifferens, non agit nisi praemoveatur.

D. quod est passive indifferens C. quod est active indifferens Sbd. nisi praemoveatur moraliter Tr. physice N.

6) Si causa 2ª a Deo non promoveatur physice, aliquid fieret ab ea, quod non fieret a Deo.

D. Si causa 2ª posset sese determinare, quin a Deo constitueretur in actu 1° proximo, et quin Deus simul concurreret C. secus N.

Declar. Difficultas supponit, aliquid reale mediare inter causam 2am proxime expeditam ad agendum et ipsum eius agere, inter potentiam actuatam et actum qui sequitur, quod probavimus esse falsum : non esset enim causa 2ª proxime expedita ad agendum, si aliquid aliud adhuc requireretur, ut de facto ageret.

7) Posito solo concursu simultaneo, Deus esset solum causa partialis.

D. Partialitate effectus N. causae Sbd. ita tamen ut influxus Dei sit nobilior, magis necessarius et intimius attingens effectum quam influxus causae 2ae C. non sit N.

Declar. Influxus Dei habet prae influxu causae 2ae prioritatem consequentiae, ut dicunt ; possum enim dicere : *Agit creatura, ergo et Deus* ; sed non : *Agit Deus, ergo et creatura.*

8) Deus est primus motor.

D. Primus h. e. praedeterminans N. quia nullus motus est possibilis, nisi Deus creaturis vires conferat idoneas ad agendum, eas conservet et cum creaturis simul agat C.

9) Causa 2ª quamvis proxime expedita ad agendum alio modo se habet, cum actu agit, quam antea.

D. Et hoc habet per suam ipsius actionem C. per aliquid distinctum a praerequisitis ad agendum et ab actione ipsa N.

10) Ratio principii operativi nequit creaturae formaliter convenire per solam actionem.

D. Per solam actionem nequit haberi virtus activa, cui

competit ratio principii C. nequit per actionem haberi relatio, quam notio principii importat N.

11) Si causa 2ª determinat concursum Dei, facit Deum sibi subordinatum.

D. *a*) Si id postulat rerum ordo ab ipso Deo statutus N. si rerum ordo ab alio statutus C.

b) Si creatura concursum determinaret a seipsa, nulla accepta a Deo primordiali motione C. si hac accepta N.

Declar. Deus v. g. tenetur homini iusto mercedem rependere propter benefacta; nemo tamen dicet hominem iustum facere Deum sibi subditum, quia illa merces debetur homini a fidelitate Dei et iuxta ordinem ab ipso Dei statutum.

12) Actio Dei est superactio.

D. Ideoque facere potest quae sunt intrinsece pugnantia N. ideoque facere potest quidquid intrinsece non repugnat, dum actio creaturae non potest C.

13) Voluntas Dei est efficacissima.

D. Ideoque aptat effectibus necessariis causas necessarias, et effectibus contingentibus causas contingentes C. ideoque potest causas contingentes intrinsece determinare ad unum, salva indifferentia activa ad utrumque N.

14) Deus efficere potest, ut actus liber infallibiliter eliciatur.

D. Si infallibilitas actus provenit ex hoc, quod Deus praevidens determinationem voluntatis in certis adiunctis, decernit concurrere ad hunc determinatum actum C. si infallibilitas actus provenit ex intrinseca determinatione ad unum Sbd. et actus tunc erit liber N. non erit C.

15) Sed tunc haberetur determinismus ex adiunctis.

D. Si adiuncta essent causa determinationis C. si sunt conditio ad exercitium libertatis requisita N.

THESIS XIII

Miracula sunt possibilia, et certo cognoscibilis.

St. Q. 1) Ad divinam providentiam et mundi gubernationem spectat, ut Deus faciat aliquando quaedam opera, quae, admirationem excitando in entibus rationalibus, Dei gloriam extrinsecam, atque ipsorum entium rationalium bonum morale magis promoveant: de miraculorum ergo possibilitate et cognoscibilitate agere post divinam providentiam visum est.

2) Miraculo, a *mirando* seu quod admirationem excitat, definiri potest: *Opus sensibile divinitus factum, insolitum, supernaturale.*

Dicitur: *a) Opus sensibile*, tale nempe quod sensibus externis percipiatur, sive in se, sive in suis effectibus.

b) Divinitus factum, a Deo nempe sive per se, sive per suos ministros.

c) Insolitum, seu contrarium vel diversum ab eo, quod fieri solet, et esset faciendum.

d) Supernaturale seu excedens vires naturae creatae, vel saltem naturae sensibilis.

3) Miraculum dividi solet in supra, praeter, contra naturam.

a) Supra naturam est miraculum, si opus sensibile excedit vires totius naturae creatae, ut esset v. g. glorificatio, vel transfiguratio corporis humani, permanentia accidentium sine subiecto, compenetratio corporum.

b) Praeter naturam est miraculum, si opus sensibile fieri potest a natura, sed adhibitis mediis aptis, et mora convenienti interiecta; v. g. talis esset subita sanatio alicuius gravis infirmitatis solo vocis imperio.

c) Contra naturam est miraculum, si est in re contraria dispositio ad effectum, qui revera producitur; v. g. si ignis, loco comburendi, refrigeraret, vel non combureret.

4) Huic divisioni similis est illa, qua dividitur miraculum in secundum substantiam, secundum subiectum, et secundum modum.

a) Secundum substantiam habetur, cum opus nullo modo potest a natura fieri.

b) Secundum subiectum habetur, cum opus potest fieri a natura, sed non in illo subiecto; v. g. natura dat visum, sed non caeco nato.

c) Secundum modum habetur, cum opus fieri potest a natura, sed non illo modo; v. g. natura tempestatem sedat, sed non in instante.

5) In sanctorum canonisatione fit sermo de miraculis 1ae, vel 2ae classis: 1ae classis sunt quae excedunt vires totius naturae; 2ae classis sunt quae excedunt vires solius naturae sensibilis.

5) Ut quaestio adaequate solvatur, duo constare debent: primum est de possibilitate miraculorum; alterum est de facto ipso miraculorum. Et cum contra primum videatur obstare necessitas et constantia legum naturalium, de hac aliquid est praemittendum.

Lex naturalis est modus constans et uniformis, quo in eisdem circumstantiis fiunt phaenomena mundi. Constans sequela effectuum, quae vi alicuius legis naturalis resultat, dicitur *cursus naturae*, et harmonica concertatio legum et effectuum om-

nium, ex qua unitas et ordo mirabilis in mundo habetur, dicitur *ordo naturae*.

6) Leges naturales dicuntur necessariae, sed quo sensu?

Necessitas alia est absoluta, alia hypothetica. Absoluta est quae a nulla hypothesi pendet, ideoque in nulla hypothesi oppositum verificari potest; talis est v. g. necessitas qua Deus existit, vel necessitas primorum principiorum et rerum essentiarum, quae ultimo in ipsa divina essentia radicantur.

Necessitas hypothetica est quae ab aliqua hypothesi pendet, ideoque oppositum verificari non absolute repugnat; talis est v. g. necessitas, qua mundus existit, vel necessitas huius propositionis: *Necesse est Petrum currentem se movere.*

Patet, leges naturales non esse necessarias necessitate absoluta, neque quoad existentiam, quia a Dei creatione et conservatione dependent, neque quoad effectus producendos, qui ab adiunctis pendent, quae nisi verificentur omnia, effectus non sequuntur. Iam vero ex adiunctis est, et omnium maxime necessarium, divinus concursus, qui, cum ad liberam Dei voluntatem pertineat, abesse potest, prout Deus ab ipsa aeternitate et ob fines se dignissimos decreverit.

7) Neque Deus, concursum in aliquo casu particulari retrahendo, ordinem universi pervertit, vel naturae cursum emendat, vel creaturis violentiam infert, uti miraculorum osores effutiunt. Universus enim in gloriam Dei factus est, et ad bonum creaturae rationalis, quae duo quam maxime per miraculorum effectionem promoveantur, nemo non videt. Lex insuper, vel naturae cursus in aliquo particulari non destruitur, neque corrigitur, sed effectus impeditur, natura ipsa et lege integris manentibus. Violentia denique non infertur creaturis, quia inest eis potentia, ut a Factore suo ad effectus producendos adhibeantur, ad quos producendos ipsae sunt impares, quae potentia a philosophis et theologis *obedientialis* dicitur, utpote quae inclinat naturam creatam ad obediendum Deo in omnibus, quae per eam attingere vult. Nulla ergo difficultas ex parte intrinsecae miraculorum possibilitatis oriri potest.

8) Sed difficultates oriri possunt ex alio capite, nempe ex ipsa miraculorum cognoscibilitate: undenam enim scire possumus opus aliquod sensibile, etiam insuetum et mirum, Deum habere auctorem? quisnam enim mortalium affirmare potest, se omnes leges naturales cognoscere, vel eas quas cognoscit, quousque sese protendant, perspectum habere? Sed etiam difficultates, quae ex hoc capite derivant, dissolvi possunt, si prae oculis habeantur normae, quae in his rebus applicandae sunt, ut veritas appareat.

In primis distinguenda est duplex veritas miraculorum, hi-

storica et philosophica : historica respicit ipsam facti existentiam, quae verificari potest, ut patet, per ipsas normas, quas ars critica suggerit ad verificandum quodcumque factum historicum. Veritas philosophica respicit explicationem facti, in qua vera difficultas, ad rem praesentem quod attinet, iacet. Ad hanc solvendam sequentes normae generales assignari possunt:

a) Ut factum aliquod dicatur esse contra naturae cursum, non est necesse omnes leges naturales cognoscere, sed satis est eas cognoscere, quae in casu illo agere solent et deberent; neque necesse est *positive* cognoscere quousque hae se protendant, sed satis est hoc *negative* cognoscere, nempe quousque non sese protendant. Numquidne ad affirmandum, opus aliquod esse contra codicem, necesse est cognoscere omnes codicis articulos ? vel ex eo quod non cognoscam, quousque sese protendat efficientia alicuius hominis, affirmare non possumus eum non posse solo vocis imperio montem transferre, vel mortuum ad vitam revocare ? Insuper, si adessent leges ad agendum natae contra naturae cursum, undenam ordinis mundani constantia et firmitas ?

b) Si opus tale sit, quod non superet vires totius naturae creatae, sed solummodo vires naturae sensibilis, ut esset v. g. mutatio baculi in serpentem, tunc consideranda sunt adiuncta, quae factum mirum comitantur: si omnibus consideratis quoad personam, modum, finem, media et alia, nihil appareat quod non sit dignum Deo, tenendum est factum illud Deum habere auctorem ; repugnat enim divinae Providentiae permittere ut creaturae rationales in errorem invincibilem incidant, qui ultimatim in ipsum Deum esset refundendus.

9) Thesi adversantur :

a) Omnes qui, negantes dari revera leges naturae, consequenter negare debent, quidquam contra naturae leges fieri : ita sensistae, qui, auctore Locke, tenent conclusiones, quae ope inductionis deteguntur et leges naturae vocantur, esse solum probabiles.

Eis consonant Christianus Wolff et David Hume, quorum alter valorem principii causalitatis, vi cuius leges naturales detegimus, habere fundamentum in rebus negat, sed esse expectationem affirmat casuum similium absque ulla certitudine. His accensendi sunt sequaces Scholae Scoticae, qui, auctore Thoma Reid, tenent nos caeco naturae instinctu adigi, ut credamus phaenomena mundi legibus regi.

b) Qui negant possibilitatem miraculorum, affirmantes absolutam necessitatem legum naturalium, ut sunt athei, materialistae, pantheistae, rationalistae, et huiusmodi.

« Aetas moderna, ait Strauss, laboriosissimis inquisitioni-

bus ad cognitionem pervenit, omnia in mundo fieri per causarum et effectuum seriem, quae nullam patitur interruptionem ».

« Firmissime tenemus, ita Harnac, omnia quae in spatio et tempore accidunt, universalibus legibus motus subiacere ; in hoc igitur sensu, idest tamquam exceptiones ab ordine naturae, miracula esse non posse ».

« Magnus triumphus progredientis scientiae naturalis, ait Häeckel, consistit in primis in absoluta agnitione constantiae legum naturae. Sed fides mystica religiosa contradicit legibus naturae et tamquam fides miraculorum illos terminos transgreditur ».

c) Qui confundunt miraculum cum miro, quod est factum, cuius causa est occulta, sed non omnibus. Ita inter alios Spinoza, Hobbes.

d) Qui tenent miraculum esse effectum naturalem, productum vel a legibus consuetis, sed modo insueto, vel a legibus, quarum est effectus insuetos in certis adiunctis producere. Ita Houtteville, Bonetty etc.

e) Qui, ut Clarke, negant miracula de facto fieri, quia dedecet Deum a modo consueto agendi declinare.

f) Qui negant posse miracula ut talia cognosci, ut Rousseau, Voltaire, Renan.

g) Denique inter osores miraculorum ponendi sunt, qui omnem activitatem creaturis denegant, idcoque negare debent quidquam fieri contra modum agendi creaturarum consuetum.

10) Thesis habes duas partes :

1ª De possibilitate miraculorum.

2ª De cognoscibilitate miraculorum.

Utraque est etiam dogma fidei definitum a Concilio Vaticano, cuius haec sunt verba :

« Si quis dixerit miracula nulla fieri posse, proinde omnes de eis narrationes, etiam S. Scriptura contentas, inter fabulas et mithos ablegandas esse, aut miracula certo cognosci nunquam posse, nec iis divinam christianae religionis originem rite probari, anathema sit ». (Sess. III. De Fide, can. 4).

I. P. *(Ex eo quod impossibilitas ex nullo capite derivat, ex eis, ex quibus derivare possit).*

Impossibilitas miraculorum, si adesset, proveniret vel ex parte Dei, vel ex parte legum naturalium.

Atqui ex neutro capite provenit.

Ergo non adest.

Maj. Non datur aliud, ex quo provenire potest impossibilitas miraculorum.

Min. 1ª p. Miracula essent impossibilia ex parte Dei, vel quia Deus non posset ea facere, vel quia non conveniret ea facere.

Atqui neutrum dici potest: non 1um; quia cum Deus sit omnipotens, plura potest facere, quae creatura facere non potest, ideoque plura producere, quae sunt *supra naturam*; cum insuper Deus sit absolute independens in suis operationibus, eadem quae natura facit, facere potest nullis adhibitis mediis, nullaque interiecta mora, ideoque eosdem effectus *praeter naturam* producere; cum denique sit supremus omnium Dominus, impedire potest quominus effectus aliquis in casu aliquo particulari locum habeat, vel etiam ut contrarius eveniat efficere potest, ideoque *contra naturam* agere.

Non 2um, quia miracula:

a) non pervertunt ordinem universi, sed solum efficiunt ut lex naturalis in aliquo casu particulari effectum non sortiatur;

b) naturam rei non mutant, neque legem ipsam suspendunt, vel corrigunt, ut quisque per sé intelligit;

c) creaturae violentiam non inferunt, quia creaturarum naturae est, ut in primis Creatori obediant;

d) gloriam Conditoris et bonum creaturae rationalis, qui finis est universi, maxime promovent.

Ergo nulla impossibilitas miraculorum ex parte Dei.

Min. 2ª p. Impossibilitas miraculorum ex parte legum naturalium derivaret, si absolute necessarium esset, eas effectum sortiri.

Atqui non est.

Ergo impossibilitas miraculorum ex parte legum naturalium nulla est.

Maj. Si enim absolute necessarium esset, leges naturales effectum sortiri, esset absolute impossibile oppositum verificari; sic v. g. ex eo quod est absolute necessarium, totum esse maius sua parte, absolute impossibile est oppositum fieri, nempe esse aequale vel minus parte.

Min. Effectus legum naturalium ex variis conditionibus pendent, quae nisi verificentur, evenire non possunt. Inter alias conditiones est concursus Dei, qui a libera Dei voluntate pendet.

Insuper si effectus legum naturalium essent absolute necessarii, nullis adhibitis mediis impediri possent, sicut v. g. nullis adhibitis mediis effici potest, ut totum adaequet partem vel sit ea minus.

II. P. *(Ex eo quod constare potest de veritate tum historica, tum philosophica miraculorum).*

Miracula sunt cognoscibilia, si constare potest de eorum veritate, tum historica, tum philosophica.

Atqui potest.

Ergo miracula sunt cognoscibilia.

Min. a) De veritate historica miraculorum constare potest applicatis normis, quae ab arte critica suggeruntur ad comprobandam veritatem cuiusvis facti historici.

b) De veritate philosophica constare potest, consideratis omnibus considerandis, nempe natura facti et adiunctis personarum, finis, mediorum, modi etc., uti explicatum est in statu quaestionis.

Solvuntur difficultates.

Contra 1am P.

1) Repugnat Deum agere contra naturam.

D. Contra naturam universalem C. particularem Sbd. repugnat Deum mutare naturam alicuius rei C. impedire quominus effectus sequatur in aliquo particulari N.

2) Repugnat Deum suis creaturis violentiam inferre.

C. sed N. suppositum, creaturam nempe violentiam pati, cum miracula patrantur; violentum enim est, quod est simpliciter contra inclinationem naturae, iamvero miraculum non est huiusmodi; creaturae enim natura ipsa inclinantur ad Creatori suo obediendum. Nonne homo, mediis adhibitis, impedit quominus effectus legum naturalium sequantur? numquid violentiam infert creaturis? cur Deus idem non posset, nullis mediis adhibitis, nullaque mora interiecta?

2) Vel una facta exceptione in legibus naturalibus, periret certitudo physica.

D. Si exceptio esset frequens, neque comprobari posset Tr. si est rarissima et comprobari potest N.

Decl. Exceptiones confirmant regulam, iuxta commune adagium.

4) Deus inconstantiae esset arguendus. (Strauss).

D. Si lex ipsa aboliretur Tr. si effectus in casu aliquo non sequitur Sbd. si hoc ab aeterno non fuisset decretum C. secus N.

5) Voluntas in Deo idem est ac intellectus, ideoque sicut intellectus ex necessitate intelligit, ita voluntas ex necessitate vult (Spinoza).

D. Est idem realiter C. formaliter Sbd. implicite C. explicite N.

Dist. sequelam : Intellectus divinus necessario intelligit seipsum et possibilia C. res actu existentes Sbd. intelligit actu entitative necessario, terminative contingenti C. terminative necessario Iter. D. necessitate hypothetica C. absoluta N.

Idem dicatur, facta proportione, de voluntate divina.

6) Leges naturales sunt Dei decreta, ideoque immutabilia,

D. Sunt Dei decreta formaliter N. effective C.

Decl. Decretum *formaliter* est actus voluntatis, *improprie* vel *effective* vocatur decretum obiectum ipsum, quod decernitur.

7) Leges naturales sunt divinae et aeternae (Voltaire).

D. Divinae quia a Deo latae et ab aeterno decretae C. simpliciter N.

Decl. Leges naturales subiective inspectae sunt mundanae, ideoque contingentes, temporaneae, sicut ipse mundus.

8) Leges naturales, utpote quae ab ipsis rerum essentiis fluunt, sunt absolute necessariae.

D. Sunt absolute necessariae quoad essentiam et in actu 1° Tr. quoad existentiam, et in actu 2° N.

9) Leges naturales, sicut principia rationalia et moralia, Deum habent auctorem, ideoque sicut haec non patiuntur exceptionem, ita neque illae.

D. Eadem ratione se habent ad Deum. N. diversa C.

Explico: Principia rationalia respiciunt ipsas rerum essentias, quae sunt absolute necessariae ; moralia autem respiciunt ipsum ordinem creaturae rationalis ad Deum: neutrum dici potest de legibus naturalibus, maxime si in actu 2° et in aliquo particulari considerentur.

10) Ignis v. g. qui in casu aliquo particulari non combureret, esset simul et non esset ignis.

D. Si non combureret, mutato principio intrinseco Tr. si actus impeditur ab extrinseco N.

11) Leges naturales sunt leges mathematicae, ideoque nullam pati possunt exceptionem.

D. Sunt mathematicae secundum quid C. simpliciter N.

Explico : Leges naturales sunt leges physicae, eis enim phaenomena mundi reguntur. Dici possunt aliquo sensu mathematicae, quia sunt certae et definitae *in se ;* sed quoad effectus producendos dici nequeunt mathematicae, cum a variis conditionibus dependeant, quae nisi verificentur, effectus non sequuntur.

12) Ordo causae ad effectum est necessarius.

D. Posito effectu, hic dicit necessarium ordinem dependentiae a causa C. effectu nondum posito causa dicit ordinem necessarium ad effectum producendum Sbd. causa libera N.

causa necessaria Iter D. positis omnibus ad agendum requisitis C. his non positis N.

Contra 2am P.

1) Contra paucos testes, qui referunt aegrotum aliquem v. g. subito sanatum esse, stat longissima experientia aegrotos nunquam subito sanari (Hume).

D. Experientia idem factum respicit, quod testes referunt N. alia Sbd. testatur experientia aegrotos *non posse* subito sanari N. *de facto* non subito sanari C.

2) Miracula discerni non possunt a miris, quae per spiritismum et hypnotismum producuntur.

D. Omnia N. quaedam Sbd. si adiuncta accurate perpendantur N. secus Tr.

3) Scientiae naturales, ut Physica, Pathologia, Physiologia, multa naturaliter explicant,quae antea uti miracula habebantur.

D. Scientiae naturales *omnia* naturaliter explicant, quae antea uti miracula habebantur N. aliqua Sbd. et haec, adhibita diligentia, poterant etiam tunc naturaliter explicari C. non poterant N.

4) Ut dicatur opus aliquod esse divinitus factum, deberent omnes leges cognosci et quousque sese protendant (Spinoza, Kant, Rousseau).

D. Omnes omnino N. quae agere solent in casu aliquo particulari Sbd. satis est cognoscere *negative* quousque sese protendant C. necesse est, ut cognoscantur *positive* N.

Explico: Praeter leges, quae cognoscuntur, dantur certe aliae, attamen huiusmodi cum ceteris conspirant ad ordinem universi servandum, non ad effectus producendos contrarios eis, quos a ceteris producuntur.

5) Prudentem indagatorem decet cohibere assensum, cum causa alicuius facti eum latet.

D. Cum, omnibus diligenter perpensis, constat causam facti non esse naturalem N. cum non constat C.

6) Dedecet humanam rationem miracula credere.

D. Si rationes credendi non adsunt C, si adsunt N.

7) Si veteres mira nostrae aetatis inventa perspicerent, ut miracula ea haberent.

D. Vulgus Tr. sapientes N. donec probetur oppositum.

8) Supernaturalitas est quid suprasensibile.

D. Ideoque percipi nequit sensu C. neque intellectu N.

9) Causa miraculi est occulta.

D. Est a sensibus remota C. ab intellectu Sbd quoad modum quo operatur C. quoad existentiam N.

10) Daemonia mira patrare possunt,

D. Quae excedunt vires totius naturae creatae N. alia Sbd. suo proprio arbitrio N. Deo permittente Iter. D. attamen adhibitis mediis distingui potest utrum opus sit divinitus factum vel diabolicum C. non potest N.

THESIS XIV.

Pantheismus repugnat.

St. Q. 1) Pantheismus est doctrina negans Deum esse a mundo distinctum.

Apud modernos duplicem induit formam, quarum una est realis, alia idealis.

2) Pantheismi realis verus auctor habendus est Spinoza, qui ex notione substantiae a Cartesio tradita, aliquantulum tamen modificata, deduxit unicam existere substantiam, eamque infinitam, necessariam, aeternam, infinitis attributis donatam, quorum tamen nonnisi duo nota sunt nobis, extensio infinita, cuius modi finiti sunt corpora, et intellectio infinita, cuius modi finiti sunt spiritus: homines autem ex synthesi oriuntur amborum modorum, extensionis nempe et intellectionis.

Potest ergo mundus universim considerari ut modus substantiae divinae, ideoque subsistens eadem subsistentia divina, et a Deo distinctus, natura quidem, sed non subsistentia; haec tamen distinctio non est realis, sed ratione; Deus enim est *natura naturans*, mundus autem est *natura naturata*.

3) Pantheismus idealis sub diversis proponitur formis, quae tamen in hoc conveniunt, quod explicent mundum per evolutionem immanentem *Absoluti* cuiusdam indeterminati, impersonalis, diversimode noncupati pro diverso auctorum ingenio.

a) Fichte vocat illud *Ego purum*, quod non est nisi pura activitas cogitans, quae per tria momenta sese explicat, quae sunt *thesis, antithesis, synthesis*. In thesi το Ego ponit seipsum; in antithesi opponit sibi το *non-Ego* nempe obiectum; in synthesi identificat sibi utrumque, nempe το *Ego* et το *non-Ego*.

b) Schelling suum Absolutum vocat *Indifferentiam differentium*, seu id in quo identificantur omnia, non solum diversa, sed etiam opposita, ideoque subiectum et obiectum, materia et spiritus, reale et ideale; omnia ergo sunt essentialiter idem, et solum differunt gradu, nempe in quantum participant magis vel minus de elemento subiectivo vel obiectivo; sic spiritus differt a materia, in quantum participat magis de elemento subiectivo, materia autem minus.

c) Hegel ponit ut fundamentum suae philosophiae *Ideam*, cuius evolutionem explicat per thesim, antithesim et syntesim. In thesi Idea evolvit se intra se et creat philosophiam rationalem seu logicam; in antithesi evolvit se extra se, et creat philosophiam naturae; in synthesi redit in se et creat philosophiam spiritus.

Ex nostratibus addicti sunt pantheismo germanico inter alios Croce et Gentile, quorum uterque ab Hegel acceperunt, attamen a suo magistro et inter se aliquantulum discrepant.

Croce admittit solam realitatem esse *Spiritum purum*, qui non solum sit unitas oppositorum, nempe synthesis του *esse* et του *non-esse*, veri et falsi, boni et mali; sed etiam nexus distinctorum, veri nempe et pulchri, boni et utilis. In spiritu duplex distinguenda est activitas, speculativa una, altera practica. Speculativa duos admittit gradus: imaginativam a qua procedit intuitio et ars, et logicam a qua procedit conceptus et veritas. Activitati practicae duo pariter respondent gradus: oeconomicus, quae est activitas practica individualis et utilis; ethicus, quae est activitas practica universalis. His quatuor partibus continetur tota philosophia crociana, quae independenter a scientiis empiricis evolvitur; scientiae empiricae enim, ait Croce, afferunt quidem aliquid utilitatis, sed realitatem minime exprimunt. In hac philosophia religio aliquem locum obtinet, sed valde secundarium, est enim tentamen quoddam interpretandi realitatem independenter a scientiis empiricis, ideoque est quaedam anticipatio philosophiae, sed imperfecta, utpote quae tenet rationem ultimam rerum esse transcendentem: Philosophiae perfectae ergo locum dare debet, quae affirmat ultimam rerum rationem esse immanentem, nempe spiritualem.

Gentile affirmat identitatem inter philosophiam et historiam, quae quidem identitas non est concipienda statice, sed dynamice, quatenus nempe philosophia, per saeculorum cursum progrediens, historiam creat et per hanc seipsam. Veritas philosophica ergo est immanens absoluto processui historico, et processus historicus est simul processus phaenomenicus spiritus.

Ad inveniendas autem formas absolutas spiritus, Gentile exordiitur ex scientia sui, quam concipit tamquam synthesim subiecti et obiecti. In hac synthesi triplex distinguitur forma, positio subiecti, positio obiecti, et synthesis utriusque. His tribus formis logicis tres respondent formae absolutae spiritus: ars, religio, philosophia. Philosophia est forma spiritus suprema; in ipsa enim eius veritas et actualitas plene perfecteque consistunt; Philosophia omnes vitae manifestationes una complectitur; est conscientia libertatis, qua spiritus in sua histo-

ria seipsum creat (!). (Cf. Klimke—Institutiones historiae Philosophiae. V. II, p. 129–30).

d) Pantheismo ideali aggregari potest pantheismus voluntaristicus vel pessimisticus A. Schopenhauer et E. Hartmann, quorum primus universum explicat per evolutionem necessariam et caecam cuiusdam appetitus fundamentalis, quem voluntatem vocat, et cuius modus perfectissimus est homo. Cum voluntatis esse sit appetere, sequitur nos desideriis inexpletis semper cruciari et vitam miserrimam ducere, donec appetere desinamus seu e vita discedamus. Haec est summa hominis felicitas, e vita discedere, quia per hoc infelicitas huius vitae cessabit.

Hartmann fundamentum Schopenhauer emendavit, et voluntati fatali et caecae substituit *Inconscium*, cuius proprietates sunt Idea et Voluntas.

4) Thesis dividi potest in duas partes:

1ª Refutatio generalis Pantheismi.

2ª Refutatio specialis.

I. P. *(Refutatur Pantheismus generatim ex eo quod contradicit experientiae, rationi, et est infensus Religioni et bonis moribus).*

a) Pantheismus contradicit experientiae internae.

α) Unusquisque nostrum experitur ita esse complete sui iuris, ut nullo modo aliena subsistentia subsistat.

Atque hoc negat Pantheismus.

Ergo Pantheismus contradicit experientiae internae.

Maj. Unusquisque nostrum attribuit sibi omnes suas operationes. Neque distinctio inter *Ego purum* et *Ego empiricum*, quam adversarii faciunt, parum sibi consentientes, quidquam evincit contra conscientiam individualem, quam solam adversarii admittunt ut fontem certitudinis. *Absolutum* enim vel *Ego purum*, cum sit indeterminatum, impersonale, inconscium, nihil evincere potest contra conscientiam personalem cuiusque nostrum.

β) Conscientia pariter interna constat, nos non esse causam efficientem adaequatam eorum, quae a ceteris rebus evidentissime videmur experiri, et quidem non solum *praeter* sed etiam *contra* activitatem nostram liberam et conscientem.

Atqui hoc negatur a Pantheistis.

Ergo Pantheismus contradicit experientiae internae.

Maj. Est factum,

Min. Iuxta pantheistas non datur distinctio inter subiectum et obiectum.

b) Pantheismus contradicit experientiae externae.

Ex datis sensuum constat res, quibus mundus *videtur* componi, non solum esse loco distinctas et separatas, sed etiam habere modos agendi et patiendi diversos et oppositos, atque characteribus diversis et oppositis ornari.

Atqui huiusmodi nequeunt esse modi vel attributa unius eiusdemque substantiae.

Ergo falsum est mundum constare modis finitis unius substantiae infinitae.

Maj. Est factum.

Min. Locus et situs sunt notae individuantes manifestativae; proprietates autem vel modus agendi et patiendi sunt naturale resultatum ipsius naturae intimae, vel substantiae.

Confirmatur. Substantiam omnes intelligunt *ens cui competit esse in se*, seu *non in alio*, ideoque de ratione substantiae est independentia a subiecto inhaesionis, non autem independentia absoluta, ut Spinoza gratuito statuit. Ergo repugnat quidem dari plures substantias absolute independentes, non autem plures independentes a subiecto inhaesionis.

c) Pantheismus contradicit rationi.

α) Repugnat ens aliquod, independenter a mentis operatione, *verificare* praedicata contradictoria.

Atqui *Absolutum* Pantheistarum independenter a mentis operatione *verificat* praedicata contradictoria.

Ergo *Absolutum* Pantheistarum repugnat.

Maj. Opposita non possunt in eodem subiecto simul consistere, quod valet maxime de contradictoriis.

Min. Absolutum Pantheistarum est *realiter* necessarium et contingens, unum et multiplex, nascens et moriens, et alia sexcenta: horum omnium enim unum et idem est subiectum.

β) Repugnat idem esse simul in potentia et actu relate ad idem.

Atqui *Absolutum* Pantheistarum est huiusmodi.

Ergo *Absolutum* Pantheistarum repugnat.

Maj. Haberet enim et non haberet perfectionem ad quam est in potentia et actu simul.

Min. Absolutum Pantheistarum est ratio sufficiens adae-

quata suae evolutionis ; indeterminatum se determinat; impersonale se personificat.

d) Pantheismus infensus est Religioni.

Si Deus ab homine non distinguitur, homo religione colit vel seipsum, vel societatem vel quid mere abstractum.

Atqui haec omnia contraria sunt indoli verae religionis : 1um enim est egoismus ; 2um pervertit ordinem naturalem, Societas enim non est finis, sed medium ad perfectionem singulorum, neque multitudo est quid *entitative* maius singulis individuis ; 3um est quid mere chimaericum et indignum entibus rationalibus.

Ergo Pantheismus est infensus Religioni.

e) Pantheismus est infensus bonis moribus.

Nulla moralitas, ubi nulla libertas.

Atqui posito *Absoluto* pantheistarum, quod sese evolvat ex intrinseca et fatali necessitate, nulla libertas.

Ergo posito *Absoluto* pantheistarum, nulla moralitas.

Maj. Moralitas supponit imputabilitatem actionum humanarum, quae in libertate radicatur.

Min. Pantheistae plenis buccis declamant quidem philosophiam pantheisticam esse veram hominis regenerationem, utpote quae veram libertatem homini conferat; sed quis credet ?

II. P. *Refutatur Pantheismus idealis resumendo breviter fundamenta, quibus nititur.*

a) Pantheistae ideales perverse intelligunt naturam cognitionis humanae ; eam enim considerant sub solo aspectu *immanentiae* et negligunt alterum, nempe cognitionem esse actum essentialiter *repraesentativum,* vi cuius dicit transcendentalem relationem ad *alterum.* Ut actio immanens, terminum productionis habet intra subiectum ; ut actio repraesentativa, terminum habet extra subiectum , repraesentatio enim, *qua talis,* non est repraesentatio sui, sed *alterius.*

Neque ad hoc requiritur ut activitas cogitans exeat a seipsa, sed satis est, ut obiectum agat in subiectum, et, *hoc cooperante,* producat in eo repraesentationem sui, quae non seipsam primo et directe exprimit, sed obiectum cuius est repraesentatio. Haec sunt omnino consona experientiae et rationi, quae unanimiter probant, nos non *esse,* neque *posse esse.* causam adaequatam sufficientem nostrarum perceptionum.

b) Sed idealistae absoluti vel pantheistae ideales, ut possint suam positionem tenere, negant valorem experientiae et rationis. Est operae praetium aliquid ex eorum operibus discerpere.

Concepito l'essere come esterno allo spirito umano e la conoscenza come separabile dal suo conosciuto, tanto che l'oggetto potrebbe essere senza essere conosciuto, è evidente che l'esistenza dell'oggetto diventa una posizione, ossia qualche cosa di « *posto* » innanzi allo spirito, di « *dato* » allo spirito, di estraneo ad esso, e che lo spirito non si approprierebbe mai, se non si facesse animo e coraggio, tranguggiando il duro boccone con un irrazionale atto di fede. Ma tutta la filosofia che andiamo svolgendo comprova che nulla vi ha di esterno allo spirito, e perciò non vi sono di fronte ad esso « posizioni » di sorta; e che i concetti stessi di mondo esterno, meccanico o naturale non sono già posizioni dell'esterno, ma posizioni dello spirito stesso, che foggia quel cosidetto « esterno », perchè gli giova foggiarlo, salvo a riannullarlo quando non gli giova più. (Croce — Logica, p. 110).

S'immagina la dimostrazione come un irresistibile congegno, che afferri il discente per il collo e, nolente e repugnante, lo trascini dove egli non vuole e il docente vuole, e lo lasci a bocca aperta innanzi al vero, a lui estraneo e al quale deve per forza piegarsi. Ma di siffatte dimostrazioni costrittive non ce ne sono in nessun campo del conoscere, anzi in nessuna forma di vita spirituale: non c'è una verità fuori dello spirito..... Perfino nell'aritmetica, per la quale esistono macchine calcolatrici, la dimostrazione costrittiva è impossibile.

(Id. Ib. pag. 33–34).

Insignis vir manifesto confundit hic *convincere cum voluntate sese convincendi.*

Negato igitur valore experientiae et rationis, vel demonstrationis, quae iuxta communem sensum sunt ex praecipuis mediis acquirendi scientiam, quid est pantheismus idealis nisi constructio mere aerea ? nihil ergo mirum si applicetur idealistis illud Horatii: *quidlibet audendi semper fuit aequa potestas*, contra evidentissimum testimonium conscientiae, quae testatur nos activitate nostra non posse realitatem externam aliter cogitari vel effingere ac *in se* est.

c) Pantheistae ideales manifestam aequivocationem faciunt quoad *rem in se*, quam intelligunt ita esse extra cognitionem positam, ac si nullam haberet relationem cum activitate cogitante, cum sit intelligenda ita esse a subiecto cogi-

tante independens, ut ab hoc habeat non τὸ *esse* vel τὸ esse *cognoscibilem*, sed τὸ *esse cognitum*.

Sed pantheistae ideales *rem* considerant sub solo aspectu cognoscibilitatis, quam *realiter* et *formaliter* cum ipso τὸ *esse* identificant, neque distinguunt inter cognoscibile in potentia et cognoscibile in actu ; inter cognoscens in potentia et cognoscens in actu ; unde formula illa solemnis primo a Berkeley inventa: *Esse est percipi*, quae aliquid simile habet cum effato scholastico : *Intelligibile in actu est intellectus in actu*.

Et sic intelligi potest sophisma gentilianum usque ad nauseam repetitum :

« Res est *cogitabilis* per activitatem cogitantem, ergo *est* per activitatem cogitantem ».

In quo est transitus a *secundum quid* ad *simpliciter*, simile huîc : Nigritae sunt albi dentes, ergo sunt albi.

d) Insuper pervertunt Pantheistae ideales notiones distinctionis, abstractionis, praecisionis mentalis, quam putant esse separationem, negationem, annihilationem. (Confer: Vera Problema dell'Assoluto p. 43 — Gentile : Teoria dello Spirito, p. 3 — id. Problemi della Scolastica, p. 78).

Sic intelligitur quomodo prof. Gentile potuit affirmare, quod considerare formam sine materia sit materiam annihilare, et mundum materialem transcendere et ad Dei notionem pervenire sit mundum ipsum in nihilum redigere !!!—(Gentile : Problemi della Scolastica, p. 78).

e) Supponunt praeterea Pantheistae ideales, ut patet ex processu evolutionis, quam *Absolutum* subit, activitatem cogitantem *primo*, *directe*, *immediate* cognoscere seipsam, quod est contra manifestum testimonium conscientiae, quae testatur, nos *primo*, *directe immediate* cognoscere *aliud*, deinde cognoscere nostrum cognoscere et nos ipsos in eo.

f) Aequivocationem denique faciunt quoad relationem, quam omnem supponunt esse transcendentalem et mutuam; neque distinguunt inter id quod est formale in relatione et id quod est in ea fundamentale ; ideoque ex eo quod cognitio nequit esse sine obiecto, inferunt obiectum non posse esse nisi cognoscatur ; et sicut nihil *est rerum* nisi per relationem ad intellectum, ita nihil *est*, nisi per relationem ad intellectum. (Gentile — Teoria dello Spirito, p. 77 e seqq.).

g) Ad pantheismum pessimisticum quod attinet, haec notasse sufficiat:

1° Confundit voluntatem cum nisu, seu tendentia naturali cuiusvis entis, etiam irrationalis, attingendi suum finem, vel naturalem perfectionem.

2° Ponit voluntatem caeca fatali necessitate sese evolventem, quorum utrumque est falsum; unusquisque enim in se experitur: *nihil volitum nisi praecognitum*, et se esse dominum suarum operationum.

3° Neque minus absurdum est *Absolutum* Hartmann, cuius proprietates sint Idea et Voluntas, et tamen sit *inconscium*.

3° Potest Pantheismus pessimisticus refutari iisdem fere argumentis, quibus Pantheismus idealis refutatur; sicut enim idealistis *Esse est percipere*, ita pessimistis *Esse* est *velle*.

Solvuntur difficultates.

1) Quidquid perfectionis est, est in Deo et est Deus.

D. Omnis perfectio simplex est in Deo C. mixta Sbd. virtualiter vel eminenter C. formaliter N.

2) Si Deus a mundo distingueretur, eius essentia limitaretur.

D. Si distingueretur secundum aliquid sui C. si secundum se totum N.

Decl. Non est idem distinctum et limitatum.

3) Deus et mundus eundem conceptum obiectivum habent.

D. Analogum C. univocum N.

4) Ens multiplicari nequit, ideoque est unum.

D. Ens reale N. abstractissum C.

Dist. sequel. Ens reale N. abstractissimum Sbd. unitate logica et quidem imperfecta C. reali, vel logica perfecta N.

5) Ens personale est determinatum.

D. Hoc est, distinctum a ceteris C. limitatum Sbd. si distinguitur secundum aliquid sui C. si secundum se totum N.

Declar. Non idem dicit determinatum et limitatum.

6) Non est contradictio affirmare et negare idem de eodem sub diverso respectu.

D. Si respectus sunt realiter et formaliter implicite diversi C. si formaliter explicite tantum N.

7) In ente absoluto eminenter est, quidquid est in ente relativo, ideoque etiam *esse* et *non esse*.

D. Quidquid perfectionis Tr. imperfectionis N.

8) *Esse* et *nihil* conveniunt in hoc quod utrumque est indeterminatissimum.

D. In eodem ordine N. in diverso C.

Declar. Esse est indeterminatissimum in ordine affirmatio-

nis, *non esse* autem est indeterminatissimum in ordine negationis.

9) Mens naturaliter tendit omnia in unum redigere.

D. In unum *per se* N. *per accidens* C.

Declar. Omnia dici possunt unum unitate causae efficientis primae, vel finalis ultimae, vel ordinis, sed non ita ut omnia sint unum realiter ens.

10) Unum est ens convertuntur.

D. De quocumque praedicatur ens, praedicatur unum C. quasi non detur ens praeter unum Sbd. trascendentale C. reale *Iter* D. singula sunt unum C. omnia simul sunt unum N.

11) Ex uno simplici nequit oriri multitudo.

D. Quod est unum et simplex nequit esse multiplex C. nequit producere multa Sbd. si ex necessitate agit Tr. si libere *Iter* D. si effectus totam perfectionem causae exhauriret C. secus N.

12) Ens perfectissimum nequit imperfectum producere.

D. Sumpta imperfectione pro carentia perfectionis debitae C. pro absentia perfectionis indebitae N.

13) Nihil est praeter infinitum.

D. Praeter infinitum non sunt entia infinita C. non sunt entia finita Sbd. quae ab infinito non habeant esse C. quae ab infinito habeant esse N.

14) Deus et mundus essent quid maius solo Deo.

D. Maius numero C. perfectione N.

15) Nihil est praeter ens, quod est supra omne genus.

D. Si est supra propter maximam sui indeterminationem C. si propter maximam sui determinationem seu infinitam perfectionem N.

16) Ens, utpote quod multiplicari nequit per proprie dictas differentias, est *per se* unum.

D. Ens determinatum, concretum, singulare C. Ens indeterminatissimum Sbd. est unum unitate reali N. logica imperfecta C.

17) Substantia divina considerari potest secundum attributa et secundum modos.

D. Quae attributa et modi sint idem realiter et formaliter implicite cum substantia infinita, ideoque, sicut haec, simpliciter infinita C. non sint N.

18) Plures substantiae aut eadem attributa haberent, aut diversa ; et si diversa, aut essentialiter diversa, aut accidentaliter.

Si 1um, non essent revera plures, sed una substantia.

Si 2um, non convenirent in ratione substantiae, ideoque non essent substantiae.

Si 3um, iterum essent omnes revera una substantia.

R. N. *Mj.* Aut haberent attributa secundum quid eadem, secundum quid diversa, aut omnino diversa, aut omnino eadem.

D. 1am p. Si attributa habent eadem numero C. si eadem specifice, generice, vel analogice N.

D. 2am p. Si sunt essentialiter diversa numero, sed non specifice, vel generice, vel analogice N. si diversa etiam specifice, generice et analogice C.

Decl. Petrus v. g. et Paulus habent attributa essentialiter diversa numerice sed non specifice, ideoque uterque est *homo*, sed non *idem* homo.

LAUS DEO ET B. VIRGINI

INDEX

MONITUM . . . . . *Pag.* 3

INTRODUCTIO

THEOLOGIAE NATURALIS DEFINITIO — PARTITIO — MOMENTUM . . . . . » 5

CAP. I.

De existentia Dei

THESIS I.

Propositio enuncians « Deum esse », etsi nota per se quoad se, non est tamen nota per se quoad nos : demonstrari ergo indiget, et potest, non quidem a priori, neque a simultaneo, sed a posteriori . . » 7

THESIS II.

Probatur Deum esse ex rerum motu, efficientia, contingentia ; ex gradibus entium et ex ordinis idealis absoluta necessitate . . . . . » 17

THESIS III.

Probatur Deum esse argumento teleologico, biologico, entropologico . . . . . » 32

THESIS IV.

Probatur Deum esse ex consensu generis humani ; ex desiderio innato beatitudinis et ex ordinis moralis absoluta necessitate . . . . . » 43

Schol. I. *Ostenditur argumenta allata in demonstratione existentiae Dei conficienda ad unum idemque ens supremum convergere, a mundo distinctum et personale* . . . . . » 49

Schol. II. *Quid sentiendum de Atheis* . . » 50

Schol. III. *De cognoscibilitate essentiae Dei* . » 51

CAP. II.

De quidditate Dei

THESIS V.

Constitutivum Dei metaphysicum videtur esse in eo reponendum, quod Deus dicatur : « Ipsum Esse Subsistens » *Pág.* 53

THESIS VI.

Deus est absolute perfectus et simpliciter infinitus . » 57

THESIS VII.

Deus est simplicissimus et unicus . . . . . » 62

Schol. *Quomodo distinguantur inter se divina attributa, et a divina essentia* . . . . » 68

THESIS VIII.

Deus est immutabilis, immensus, aeternus. . . . . » 69

Schol. *De veritate—bonitate—pulchritudine Dei* . » 76

CAP. III.

De operatione Dei ad intra

THESIS IX.

Est in Deo perfectissima scientia, cuius obiectum formale et materiale primarium est ipsa divina essentia ; secundarium autem sunt omnia praeter Deum; possibilia etiam et futura libera, sive absoluta, sive conditionata . . . . . » 79

Schol. I. *In quo medio Deus cognoscat alia a se.* » 89
Schol. II. *Utrum Deus cognoscat mala* . . » 91
Schol. III. *Utrum Deus cognoscat infinita distincte* » 91

THESIS X.

Est in Deo voluntas perfectissima, cuius obiectum formale et materiale primarium est ipsa divina bonitas; secundarium autem sunt alia existentia praeter Deum; vult tamen suam bonitatem Deus necessario, alia a se autem libere . . . . . *Pag.* 92

CAP. IV.

De operatione Dei ad extra

THESIS XI.

Deus mundum, quem ex nihilo creavit, positive et immediate conservat, atque creaturas omnes, maxime hominem, providentia sua gubernat . . . . . » 100

Schol. I. *Utrum solius Dei sit creare* . . » 110

Schol. II. *Utrum creatio active sumpta sit actio transiens vel immanens* . . . . . » 111

Schol. III. *De necessitate creationis ab aeterno* . » 112

THESIS XII.

Deus ad omnes actiones et effectus creaturarum concurrit; attamen non eas physice praedeterminando, sed cum eis simul operando. » 113

THESIS XIII.

Miracula sunt possibilia et certo cognoscibilia. . . » 121

THESIS XIV.

Pantheismus repugnat . . . . . » 130

160
L615 LIBERATORE-CORSI 22967

AUTHOR

Theodicea

TITLE

DATE DUE	BORROWER'S NAME

STORAGE - CBPL

967
22967